DE PARATAXIS IN TERENTI FABULIS VESTIGIIS.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB

AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE ERLANGENSI

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

A. WENINGER.

Erlang. MDCCCLXXXVIII.

TYPIS E. TH. JACOB.

DE PARATAXIS IN TERENTI FABULIS VESTIGIIS

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

SCRIPSIT

A. WENINGER.

Erlangen.

Druck der Universitäts-Buchdruckerei von E. Th. Jacob.

Antiquissimis cuiusvis linguae aetatibus enuntiata singula inter se coniungendi rationem quam simplicissimam fuisse ad unum omnes opinor concedunt. Quasi pari sint enuntiata dignitate, paratactica quae dicitur structura alterum alteri adnecti solet. Quam rationem, quo quaeque propius absit lingua ab incunabulis, eo clarius atque crebrius inveniri constat. Linguarum igitur, quae ad eandem gentem ac Latina pertinent, ceteras structurae paratacticae usum saepius et liberius exhibere videmus [1]), quippe quae litterarum monumenta praebeant multo antiquiora et primordiis linguae propiora quam lingua Latina. Sed Latinae quoque linguae paratacticam structuram initio propriam fuisse apertum est. Quamvis enim priscis temporibus severior subiungendi ratio in litteris Latinis nobis occurrat, tamen et ipsam hanc ex laxiore illa adiungendi ratione, quam parataxis nomine comprehendere solemus, ortam esse vestigiis plurimis docemur [2]).

1) cf. Jolly. Ein Kapitel vergleichender Syntax. München 1872. pag. 118 „Die Voraussetzung, von der man dabei (scil. bei der vergleichenden Syntax) ausgeht, dass diese 3 Sprachen (Jranisch, Sanskrit und Griechisch), die 3 ältesten unseres Stammes, in Hinsicht der Syntax näher unter sich verwandt sind als mit der viertältesten, dem Lateinischen, ist unschwer zu erweisen. Schon eine flüchtige Vergleichung des Satzbaues lehrt, dass im Lateinischen der syntaktische Satzbau überwiegt, dass dagegen das Jranische, Sanskrit und das Griechische . . . . . übereinstimmend mit dem syntaktischen oder hypotaktischen Satzbau fast nur schüchterne Anfänge zeigen und überall das System des Parataxis vorherrscht."

2) cf. Jolly, l. l. pag. 63 cf. idem. Über die einfachste Form der Hypotaxis im Indogerm. Curtius, Studien VI. pag. 218.

Atque diutissime linguae simplicissimam in enuntiatis coniungendis rationem conservat sermo vulgaris vel cotidianus, quo utuntur ii homines, qui ab litterarum cultu maxime sunt remoti. Huius sermonis generi inprimis locum esse consentaneum est in comoediis, quibus plerumque hominum humili genere ortorum et habitum et sermonem poetae student imitari. In iis ante ceteros Plautum numerandum esse nemo est, qui ignoret. Quae parataxis formae in eius fabulis exstent, cum alii vel singulatim ostenderunt vel summatim commemoraverunt, tum J. B. Weissenhorn in commentatione „Parataxis Plautina“ (Programm der K. Studieanstalt Burghausen 1884) exemplis uberrimis congestis exposuit. — Terenti vero sermonem ita purum atque urbanum ipsis poetae aequalibus visum esse constat, ut vel Scipionibus et Laeliis dignus haberetur. Nam cum amicitia coniunctus esset Terentius cum viris nobilissimis Scipione Africano et Gaio Laelio, ab his comoedias Terentianas scriptas esse rumor erat dilatus, de quo poetam ipsum edoctum fuisse scimus [1]). Neque posteriorum aetatum hominibus illam famam ignotam fuisse e C. Suetoni Tranquilli vita Terenti compertum habemus; ibidem legimus et Ciceronem (cf. etiam ad Att. VII, 3, 10) et Caesarem lectum purumque Terenti sermonem laudavisse, quo addendum est Quintilianum quoque (inst. or. X, 1, 99) Terenti scripta elegantissima existimare.

Inde Terenti genus dicendi a sermone, quo usus est Plautus, multum abhorruisse apparet, quamquam ea, qua ille florebat, aetas vix viginti annorum intervallo a morte Plauti distabat. Neque defuerunt, qui animadverterent atque pronuntiarent, plurimum interesse inter Plauti et Terenti sermonem [2]), etiamsi utriusque stili discrimina usque ad hunc diem non satis accurate exposita sunt.

---

1) cf. Adelph. prol. 55 sqq. Heaut. prol. 22.

2) cf. Langen, Beiträge zur Kritik und Erklärung des Plautus. Lips. 1880 in praef.: „Zwischen Plautus und Terenz liegt eine

De similitudine, quae inter Terenti et priorum comicorum Latinorum, inprimis Plauti, intercedit sermonem inter alios disputavit L. A. Fischer in altera parte dissertationis „De Terentio priorum comicorum latinorum inprimis Plauti sectatore quaestiones selectae“ (Hal. Sax. 1875). Sed multa, quae ad hanc rem pertinent, reliquit atque ipse satis se habere fatetur ostendere singulis usum exemplis, sermonem Terentianum et Plautinum, quamquam valde inter se differat, tamen satis magnas praebere similitudines.

In formis quidem priscis adhibendis Terentium fere omnino non Plauti imitatorem deprehendi Aug. Godf. Engelbrecht nuper docuit libello, quem inscripsit „Studia Terentiana“ (Vindob. 1883) [1]. Copiosissime hic illustravit, Terentium voces rusticas et priscas, quibus Plautus plebem sibi conciliasset, in universum respuisse aut eis non usum esse nisi certis causis commotum; atque statuendum esse affirmat

---

Reihe von Jahren der reichsten Sprachentwicklung, welche sich auf die Formen, den Wortschatz, die Wortbedeutung und Syntax gleichmässig erstreckt. Zudem bewegt sich Plautus in der Sphäre des gewöhnlichen Volkes, er gibt uns, unbeschadet seiner eigenen Meisterschaft in Beherrschung der Sprache, die Anschauungsweise, den sprachlichen Ausdruck der durch höhere Bildung unberührten Leute wieder, Terenz dagegen verkehrte in dem Kreise feingebildeter Männer, welche durch Studium der griechischen Literatur ihren Blick erweitert hatten, deren Redeweise das Gepräge höherer geistiger Reife trug. Die Sprache des Terenz ist in Folge dessen weit mehr von der des Plautus verschieden als man gewöhnlich anzunehmen geneigt scheint.“ cf. quod idem scripsit in pag. 92: „In der Entwicklung der metaphorischen Bedeutung ist .... der Abstand zwischen Plautus und Terenz noch viel bedeutender als in formaler und syntaktischer Beziehung. cf. idem in Neue Jahrb. f. Philol. B. 125/126 (1882): „Die Metapher im Lateinischen von Plautus bis Terenz.“

1) Supplementum huius libelli Engelbrecht scripsit in „Wiener Studien 6. Jahrg. 2. Heft, 1884 pag. 216—248: Beobachtungen über den Sprachgebrauch der lateinischen Komiker.“

(pag. 11), poetam „in sermone latino quodam modo novarum rerum studiosum fuisse atque id inprimis egisse, ut ubi fieri posset sermonis vulgaris speciem effugeret et formas novas, quae tum a comoedia alienae erant, antiquatis sed in sermone comicorum adamatis praeferret.“

Edmundus Hauler in dissertatione „Terentianae quaestiones cum specimine lexici“ (Vindob. 1882) inter alia exposuit (pag. 21), Terentium in formulis Graecis adhibendis cautum esse et purae latinitatis quam studiosissimum cognosci.

Syntaxis autem Terentiana quantum differat a Plautina nondum pari modo quaesitum est, quamquam praeter Langenium, qui strictim complures res syntacticas attigit, alii quoque viri docti singulis syntaxis Terentianae partibus pertractandis operam dederunt neque singulares quaestiones [1]) desunt de singulis quibusdam elocutionis Plautinae et Terentianae proprietatibus. Sane quidem concedendum est, Terenti genus dicendi plurimum discrepare a Plauti sermone et in formis adhibendis et in syntaxi ornanda, sed in para-

---

1) cf. velut Biese Alf., de obiecto interno apud Plaut. et Ter. atque de transitu verbalium notionum. Diss. inaug. Kiel 1878. Bocksch Heinr., de casuum quam dicunt attractione apud Plaut. et apud Ter. Diss. inaug. Vratislav 1865. Friebe, de derivatione, significatione, ellipsi, pleonasmo, anastrophe et permutatione praepositionum apud Plaut. et Terent. agitur. Progr. Königsberg 1847. Hirth Fr., de interiectionum usu Plautino Terentianoque. Spec. I. diss. Rostock 1869. Rothe, Quaestiones grammaticae ad usum Plauti potissimum et Terentii spectantes. Diss. Berlin 1876. Thomas, la Syntaxe du futur passé dans Terence. Revue d'instr. en Belgique XIX 1876, XX 77, XXI 78. Lange, de sententiarum temporalium apud priscos script. Lat. syntaxi. Diss. Vratisl. 1878. Liebig, Die hypothet. Sätze bei Ter. Gymn. Progr. Görlitz 1863. Barth P., de infinitivi apud scaenicos poetas latinos usu. Leipz. 1881. Heinrichs, de ablativi apud Ter. usu. Elbing 1860. Zimmermann, Beiträge aus Terenz zur lat. Gramm. Progr. Posen 1880.

tacticae quae dicitur, structurae usu Terentium ita Plauti imitatorem deprehendimus, ut nulla fere exstet parataxis forma, quin ab utroque poeta pari modo sit adhibita. Facile igitur nobis persuadebimus, illum usum in litterarum genere positum esse neque minus proprium fuisse aliorum comicorum Latinorum[1]), quoad iudicare possumus ex iis, quae supersunt, fragmentis. Quam non recedat parataxis usus a dicendi genere ceterorum scriptorum, qui ad laxiorem sermonis rationem accedunt, eis locis afferendis demonstrari poterit, qui in Horati scriptis paratacticam praebent structuram.

Priusquam ad ipsa parataxis exempla enarranda aggrediamur, restat ut commemoremus multos ut Plautinos ita Terentianos aliosve locos, qui huc pertinent, iam allatos vel tractatos inveniri in libris virorum doctorum, qui in universis syntaxis latinae legibus indagandis versati sunt. In his ante alios qui numerentur, digni sunt Holtze[2]), Draeger[3]), Kuehner[4]). Praeter eos editores quoque, qui fabulas Terentianas commentariis illustraverunt, in his inprimis Andr. Spengel[5]) et Dziatzko[6]), adnotationibus quibusdam paratacticam structuram summatim attigerunt. Denique mihi addendum est, in Terenti versibus numerandis atque scribendis me secutum esse Dziatzkonem, qui apparatu

---

1) quamquam etiam Afrani sermonem in universum fuisse purum atque elegantem docuit Teuffel in progr. Tubing. 1858, pag. 42.

2) Fr. G. Holtze, Syntaxis prisc. script. lat. usque ad Terentium (2 voll. Lips. 1861/62).

3) Draeger, Historische Syntax der lat. Sprache. 2 Bände. Zweite Aufl. 1878. 1881.

4) Kühner, Ausführliche Grammatik der lat. Sprache (2 voll. 1877. 1878).

5) Die Comoedien des Terenz erkl. v. A. Spengel. I. Andria 1875. II. Adelphoe 1879.

6) Ausgewählte Komödien des P. Terentius Afer erkl. v. Karl Dziatzko. I. Phormio[2] 1885. II. Adelphoe 1881.

critico editionis Umpfenbachianae [1]) fundamento usus novam paravit editionem Terenti comoediarum [2]). Comicorum fragmenta ex altera Ribbecki [3]) editione afferam.

I.

In paratacticae structurae formis nescio quo pacto rectam quae dicitur orationem inprimis numerari liceat. Maxime enim proprium est sermonis non minus familiaris quam cotidiani oratione recta uti, id quod clarissime redundat etiam ex nostro communi more loquendi. Plerumque enim fit, ut ab eo, qui loquitur, oratione recta verba repetantur, quae ipse aliusve quidam alio tempore dixit seu cogitavit. Idem occurrit, si quis verba affert, quae se ipsum aliumve dicturum esse aliquando fingit. Hic usus non alienus fuit a Terenti dicendi genere in diverbiis potissimum usurpato, quo sermonis cotidiani morem certe imitatum esse putaveris poetam comicum. Atque saepissime in modum ceterorum scriptorum Latinorum Terentius in oratione recta afferenda verbo ‚inquam‘ utitur, quod semper toti orationi vel parti certe eius postponi notum est. Cum hic paratacticae, ut ita dicam, structurae usus ab usitato genere dicendi omnino non recedat, satis esse puto hic ponere apud Terentium locis septendecim [4]), in Horati sermonibus (nam solum hoc genus Horati

---

1) P. Terenti comoediae, ed. et app. crit. instr. Fr. Umpfenbach. Berlin 1870.

2) P. Terenti comoediae rec. Carolus Dziatzko. Lips. 1884 (Tauchnitz).

3) Scaen. Rom. Poesis fragm. vol. II. Com. fragm. 2. Aufl. Lips. 1873.

4) Andr. 134. 254. 451. 453. Eun. 337. 342. 580. 594. 624. Phorm. 93. 110. 650. 667. 674. 865. 911. Hec. 386.

scriptorum Terenti comoediis conferri licet) locis viginti [1]) formam ‚inquit‘, novies [2]) apud illum, octies [3]) apud hunc formam ‚inquam‘ orationi rectae insertam vel postpositam inveniri. Praeterea forma ‚inquam‘ undecies [4]) a Terentio singulis verbis adicitur, quae cum indignatione quadam iterantur, et octies [5]) cum imperativo coniungitur, ut eius vis efferatur. Singulis tantum locis occurrunt formae ‚inquis‘ [6]), ‚inquimus‘ [7]), ‚inquies‘ [8]), ‚inquiet‘ [9]), ceteris locis alia verba in earum locum succedunt. Duobus locis Terentianis [10]), quibus alicui verba, quae dicere iubetur, insusurrantur imperativi formam ‚inque‘ invenimus. Terentium variandi quodam studio adductum non veritum esse a solito usu discedere, cognoscere licet ex Phorm. 865 sq.

‚Sophrona modo fratrem huc‘ inquit ‚senis introduxit Chremem‘;
Eumque nunc esse intus cum illis.

Transitur hoc loco subito ex oratione recta, cui verbum ‚inquit‘ insertum est, ad orationem obliquam, quae in versu allatis antecedente (864) ex verbo ‚ait‘ suspensa est.

---

1) Hor. sat. I. 1, 62; 2, 32. 35. 57; 3, 23. 126; 5, 59; 4, 79; 9, 7. 14. 38. 40. II. 2, 99; 3, 39. 319; 6, 90; 8, 43. Ep. I. 7, 93; 16, 35. II 2, 40.

2) Eun. 237. 239. 414. 425. Phorm. 620. 633. Hec. 376. 824. Adelph. 622

3) sat. I. 9, 5. 8. 50. 70; 10, 64. II. 3, 276 (cf. Fleck. Jahrb. 1861, p. 805); 7, 22; 8, 27.

4) Andr. 785. Heaut. 91. 348. 378. 694. 770 894. Phorm. 987. Hec. 214. 847. Ad. 934.

5) Andr. 409. 862. Heaut. 85. 879. Phorm. 217. Hec. 496. Ad. 696. 781.

6) Hor. sat. II. 1, 5.

7) Hor. sat. I. 3, 66.

8) Ter. Andr. 388.

9) Hor. sat. II. 5, 43.

10) Heaut. 829. Phorm. 919.

Verbum ‚aio‘ ita orationis obliquae ut ‚inquam‘ orationis rectae proprium esse grammatici docent [1]; sed particula ‚ut‘ adiecta ‚aio‘ etiam orationi rectae inseritur. Eundem usum Terentius sequitur, quamquam nonnullis locis forma ‚aiunt‘ cum oratione recta coniuncta est. Sunt autem eius modi loci, ut proverbium seu sententia communis proferatur:

Heaut. 719. Quid si redeo ad illos qui aiunt ‚quid si nunc caelum ruat‘?

Andr. 805. Ut quimus, aiunt, quando ut volumus non licet [2].

Phorm. 419. ‚Actum‘ aiunt ‚ne agas‘.

(Conferas velim hos duos locos:

Phorm. 506. Mihin domist? immo, id quod aiunt, auribus teneo lupum.

Phorm. 768. Ita fugias ne praeter casam, quod aiunt.

His duobus locis ‚id quod aiunt‘ et ‚quod aiunt‘ similiter posita sunt atque ‚ut aiunt‘).

Semel forma ‚ait‘ usurpatur, ubi verba alicuius oratione recta repetuntur:

Heaut. 221. Nunc ait ‚periclum ex aliis facito, tibi quod ex usu siet‘.

(cf. quae pater Clitiphonis, qui hoc loquitur, antea dixit v. 210).

Duobus locis forma ‚ain‘ interrogationi additur: Andr. 875. Ain tandem, civis Glyceriumst? Eun. 392. Ain tu, laetast?

Multo crebrius ab Horatio ‚aio‘ verbi ‚inquam‘ loco usurpatur, ut orationi rectae vel inseratur vel toti orationi eiusve parti postponatur. Forma ‚ait‘ sic invenitur novem locis [3])

---

1) cf. Kühner, l. l. II. pag. 1025.

2) cf. Spengel adn. ad h. l.

3) sat. I. 1, 5; 3, 22. II. 2, 40; 6, 116. Ep. I. 6, 42; 7, 32. 91; 19, 43. ep. II. 2, 139.

(bis [1]) verbis, quae proferuntur, anteponitur), uno loco [2]) ‚aio', uno [3]) ‚ais' occurrit, semel [4]) ‚aiebam', quattuor locis [5]) ‚aiebat' eodem modo ponitur; ‚aiunt' ut apud Terentium proverbio accedit duobus locis [6]), ceteroquin particula ‚ut' adiecta verbum ‚aio' verbis prolatis inseritur vel postponitur. Apud alios quoque scriptores verbum ‚aio' omissa particula ‚ut' nonnunquam orationi rectae insertum esse Kuehner [7]) compluribus locis allatis docuit.

Denique hic ponendus est Phorm. v. 481:

Ut aibat | De eius consilio sese velle facere quod ad hanc rem attinet.

Orationis rectae loco ex enuntiato secundario praecedente ‚ut aibat' pendet oratio obliqua, quam dicendi rationem Spengel [8]) ex sermone vulgari demptam esse putat. Ex liberiore vel solutiore quodam genere dicendi illud quoque ortum est, quod Terentius orationem obliquam rectae miscere non dubitat [9]) inprimis in narrationibus, ubi sententiarum conexum laxiorem esse observamus.

Ab illo sermonis studio, quo verba alias dicta oratione quadam recta repetuntur appositis verbis dicendi ‚inquam' et ‚aio', ea loquendi ratio distinguenda est, qua duae enuntiationes iuxta ponuntur primariae oratione recta, ubi exspectaveris, ut altera e priore per orationem obliquam sit suspensa (cf. Holtze, II, 227). Hoc genus paratacticae quae dicitur structurae inprimis verba declarandi et sentiendi efficiunt. Saepissime enim ut apud Plautum ita apud Teren-

1) sat. II. 3, 289. ep. I. 18, 28.

2) ep. I. 16, 47.

3) sat. II. 7, 72.

4) sat. I. 9, 12.

5) sat. I. 4, 115. II. 8, 65. ep. II. 3, 439. I. 15, 40.

6) sat. II. 2, 64. ep. I. 1, 59.

7) l. l. II. 1025 adn.

8) cf. adn. ad Adelph. v. 648, qui similem praebet structuram.

9) cf. Andr. 220 sq. Hec. 145 sqq.

tium eiusmodi verba cum altero enuntiato primario coniunguntur, cuius loco enuntiatum secundarium ex eis dependere solet. Ex hoc laxo sententiarum conexu indicativum, qui in interrogationibus obliquis occurrit, profectum esse Ed. Becker demonstravit laudatissima illa quaestione, quam instituit ‚de syntaxi interrogationum obliquarum apud priscos scriptores latinos‘ [1]). Idem reiciendam esse illorum grammaticorum sententiam affirmat, qui hanc structuram ad Graecorum imitationem revocabant [2]), atque hunc usum, cuius originem in cotidiani sermonis genere quaerendam esse appareat, ex ipsius linguae latinae natura explicandam esse existimat.

Ex eodem illo solutiore sententiarum conexu vel simplicissima enuntiata inter se iungendi ratione, ex qua prisci scriptores et in iis Terentius indicativum in interrogationibus obliquis admiserunt, ortum esse patet, ut cum verbis declarandi et sentiendi enuntiatum primarium enuntiati substantivi loco coniunctum sit. Illa verba enuntiatis substantivis, quae accusativi cum infinitivo formam habent, qualibet collocatione adiecta esse satis constat; eodem modo etiam enuntiatis solutis, quae obiecti vice funguntur, ea modo anteposita modo postposita modo inserta inveniri videbimus. Kuehner (II, 758), quem Weissenborn (pag. 5) secutus esse videtur, illa exempla, ubi verba enuntiatis solute positis inseruntur, ad parenthesin pertinere ideoque a ceteris disiungenda esse affirmat. Sed ipsam hanc parenthesin ad structuram paratacticam revocandam esse quis est qui neget? Quare potius Holtzio assentiri libet, qui (II, 227) huius modi enuntiationes parentheticas proprie huc spectare arbitratur. Proxime enim accedunt hae enuntiationes parentheticae ad usum verborum ‚inquam‘ et ‚aio‘, quae sententiis

---

1) v. Studemund, Studien auf dem Gebiete des archaischen Lateins. vol. I. fasc. prior.

2) cf. Schäfler, Die sogenannten syntaktischen Graecismen bei den augusteischen Dichtern. Amberg 1884, p. 92 et 94 sq.

oratione recta prolatis adici solent, neque quidquam interesse apertum est, utrum illa, quae huc pertinent, verba enuntiato primario inserta an postposita sint. Solo vocis sono vel potius sono neglecto enuntiati secundarii loco mente subiunguntur[1]) ei sententiae, quae maioris sit momenti. Contra iis locis, quibus verbum declarandi vel sentiendi alteri enuntiato praeponitur, plerumque hoc ex illo pendere exspectamus, ut enuntiatum primarium, quod obiecti vice fungitur, enuntiati substantivi loco esse pronuntiemus. Addendum est, omnibus linguae aetatibus apud scriptores omnes parenthesin suum locum obtinuisse et hoc paratacticae structurae genus solum fere servatum esse, alias eius formas magis magisque apud posteriores scriptores evanuisse.

Quibus praemissis ad ipsa parataxis exempla accedamus. Haud ita crebro paratacticae structurae usus occurrit in verbis dicendi, si illos locos omittimus, quibus verba iam antea dicta vel aliquando dicenda ita proferuntur, ut dicta sunt vel dicenda erunt. Hanc orationis rectae formam, quae omnino non ab usitato omnium scriptorum genere dicendi abhorret, ad parataxin non vere esse revocandam iam supra (pag. 11) animadvertimus. Ponamus igitur ea tantum exempla, ubi cum verbo dicendi enuntiatum alterum coniunctum est primarium, cuius loco enuntiatum substantivum ex verbo dependere exspectamus.

Verbum ‚dico‘ ipsum unum eiusmodi exemplum apud Terentium praebet: Eun. 379. ‚Tibi equidem dico, mane‘. (‚Dico‘ hoc loco vim verbi imperandi habet, ut sententia idem valeat, quod ‚tibi impero, ut maneas‘. Imperativo autem solute posito maiorem esse vim apertum est, quam si dependeat ab verbo dicendi coniunctione ‚ut‘ apposita). Cui usui conferendi sunt duo Afrani loci, quibus et ipsis verbum ‚dico‘ imperandi notionem continet:

---

1) cf. Jolly, Die einfachste Form der Hypotaxis, pag. 222 et 227 sq. (ubi nostrae linguae usus arcessitur).

Afr. frgm. 145/6. Fit opus luculentem hoc: dic ei herbam det . . . .
„ 316. Nunc se obsequentem atque hilare dixi praebeat.

Coniunctivos solutos ‚det' et ‚praebeat' non dependere ex verbo dicendi, sed imperativi vice fungi consentaneum est [1]). Eundem usum invenimus apud Horatium Ep. I. 7. 60 sq. Dic, | Ad cenam veniat.

Etiam hic locus ad eundem usum pertinere videtur: sat. II, 5, 23 Dixi equidem et dico: captes astutus ubique.... Non enim verba iam dicta antea vel aliquando dicenda proferuntur, sed solute positus est coniunctivus ‚captes' imperativi loco usurpatus, ubi enuntiatum coniunctione ‚ut' subiunctum esse exspectamus. (Neque silentio praeterisse velim, duobus locis Horatianis imperativum ‚dic' cum interrogatione recta esse coniunctum: ep. I, 1, 62 Roscia, dic sodes, melior lex an puerorumst | Nenia . . . . ep. I, 16, 31 Respondesne tuo, dic sodes, nomine?).

A Draegero in huius parataxis generis exemplis, quae verbum dicendi praebet, numeratur etiam Heaut v. 795: Verum illud, Chremes, | Dicunt: ‚ius summum saepe summast malitia.' Sed monentum est, pronomen ‚illud' verbo ‚dicunt' adiectum ad enuntiatum, quod sequitur, spectare, quo sententia communis continetur. Similes huius loci sunt Adelph. v. 28 et 823, ubi itidem sententiae communes oratione recta proferuntur [2]). Idem quod ‚dico' est ‚edico': Eun. 1064 sqq. Miles, edico tibi | Si te in platea offendero hac post umquam, quod dicas mihi | ‚Alium quaerebam, iter hac habui': periisti. [3]).

---

1) cf. quod infra (pag. 32) exposuimus de hoc coniunctivi usu (Praeterea cf. pag. 50 sqq.).

2) cf. ea exempla, quae supra pag. 10 attulimus.

3) Conferre libet Plaut. Mil. 159 sqq. ‚Nunc adeo edico omnibus:

Simili vi ‚praedico' positum est in Andr. v. 46, ubi pronomen ‚hoc' antecedens enuntiatum primarium indicat: Hoc primum in hac re praedico tibi: | Quas credis esse has, non sunt verae nuptiae.

Etiam ad verbum ‚hariolor' pronomen ‚hoc' accedit, quod enuntiato sequente illustratur: Adelph. 202 sqq. Sed ego hoc hariolor: | Ubi me dixero dare tanti, testis faciet ilico, | Vendidisse me.

Verbum ‚fateor' paratactice positum est his locis: Heaut. 158. Ita res est, fateor: peccatum a me maxumumst.

Heaut. 644. Mi Chremes, peccavi, fateor: vincor.

Phorm. 236. Audio, fateor.

Adelph. 188 sq. Leno sum, pernicies communis, fateor, adulescentium, | Periurus, pestis.

(Sic metri causa Fleckeisen et hunc secutus Dziatzko mutaverunt versum contra concentum omnium codicum, qui habent: ‚fateor pernicies communis'. Spengel scripsit: Leno, pernicies, fateor, sum communis adulescentium — sed hoc nullius momenti est ad parataxis usum, qui in hoc versu exstat).

Afran 25 . . . fateor, sumpsi non ab illo modo.

(Non certe discerni potest, utrum hoc loco ‚fateor' insertum sit enuntiato primario an praefixum).

Nihil aliud quam ‚fateor' est ‚non nego':

Adelph. 798. Factumst, non nego.

Atque idem fere valet ‚concedo': Phorm. 699 sq. Iam si argentum acceperit, | Ducendast uxor, ut ais, concedo tibi.

Quemque a milite hoc videritis hominem in nostris tegulis, | Extra unum Palaestrionem, huc deturbatote in viam. | Quod ille gallinam aut columbam se sectari aut simiam, | Dicat: disperistis, ni usque ad mortem male mulcassitis'. . . Quibus versibus Jordan, Krit. Beitr. z. Gesch. d. lat. Spr. (Berlin 1879) pag. 344 edicti magistratus cuiusdam imitationem contineri existimat (‚Karikatur eines Ediktes').

(Apud Horatium uno loco ‚clamo' paratactice usurpari videtur: sat. II, 1, 45 Melius non tangere, clamo. Qui totus locus in parenthesi positus est).

Multo saepius quam verba dicendi structuram paratacticam praebent verba sentiendi et in iis principem locum, si numerum exemplorum respexeris, obtinet ut apud Plautum ita apud Terentium [1]) verbum ‚scio'.

Eorum locorum, quibus verbum ‚scio' enuntiatis primariis anteponitur, duo genera sunt discernenda; ubi pronomen demonstrativum ‚hoc' verbo ‚scio' adiectum est, enuntiato, quod sequitur, non obiectum verbi sentiendi continetur, sed pronominis vis explicatur, ut sententiam explicativam, non substantivam alterum enuntiatum exprimat [2]). Ad parataxin autem ea quoque exempla pertinere apertum est, quod etiam pronomine demonstrativo antecedente verba sentiendi et declarandi accusativus cum infinitivo secundum syntaxis latinae leges usitatas sequi solet [3]).

‚Scio' anteponitur:

Andr. 365 sq. Scio: | Magnum signum (sc. est).

„ 653 sq. Scio: cum patre altercasti dudum, et is nunc propterea tibi
Suscenset nec te quivit hodie cogere illam ut duceres.

Andr. 658 Scio: tu coactus tua voluntate es.

Heaut. 752 Etsi scio, hosce aliquod dies non sentiet.

Phorm. 636 sqq. Nam sat scio, | Si tu aliquam partem aequi bonique dixeris, | Ut est ille bonus vir, tria non commutabitis | Verba hodie inter vos.

---

1) Mirum est, nullum huius usus exemplum inveniri in comicorum fragmentis. cf. Draeger, §. 369, 7. „Weiter ist aber diese Erscheinung nicht beobachtet, ausser bei Apul. met. 5, 11, 22."

2) cf. Kühner II, pag. 759 adn. 2.

3) cf. Kühner II, pag. 531, 17. Spengel ad Andr. 180.

Hec. 656 sq. . . . satis certo scio, | Non clam me haberet, quod celasse intellego.

Adelph. 256 sq. . . . satis certo scio:

Nunquam ita magnifice quicquam dicam, id virtus quin superet tua.

(Non huc pertinent Adelph. v. 821 Phorm. v. 110: duobus his locis sermo alicuius ab altero interrumpitur, qui dicit, se iam scire, quid ille dicturus sit; verba igitur, quae his locis verbum ‚scio' sequuntur, non obiecti vice funguntur).

Pronomen ‚hoc' adiectum est:

Andr. 929 sq. . . hoc certo scio, | Rhamnusium se aiebat esse.

Phorm. 137 sq. . . unum hoc scio,

Quod fors feret, feremus aequo animo.

Adelph. 225 sq. .. hoc scio | Animus tibi pendet[1]).

‚Scio' enuntiato primario interpositum est his locis:

Heaut. 230 sq. Si mihi secundae res de amore meo essent, iam dudum scio | Venissent.

Hec. 350. Omnem rem narrabit, scio, continuo sola soli.

Eun. 487 sq. Nam hercle nemo posset, sat scio,

Qui haberet qui pararet alium, hunc perpeti.

Hec. 234 . . nam de te quidem | Satis scio peccando detrimenti nil fieri potest.

Hec. 67. Nam nemo illorum quisquam, scito, ad te venit . . . .

Verbum ‚scio' postponitur enuntiatis solute positis:

Heaut. 254. Di boni, quid turbaest! aedes nostrae vix capient, scio.

Eun. 567. Primam dices, scio, si videris.

„ 628. Hoc est signi: ubi primum poterit, se illinc subducet scio.

---

1) Spengel ad h. l. ‚hoc scio — soviel weiss ich'; Diatzko dubitat, utrum ‚hoc' ablativus causae an obiectum sit.

Hec. 756. Faciam, quod pol, si esset alia ex hoc quaestu, haud faceret, scio.

Eun. 889 sq. Ah volet, certo scio. | Civis modo haec sit.

Adelph. 339. Nunc si hoc palam proferimus, ille infitias ibit, sat scio.

„ 360. Persuasit ille inpurus, sat scio.

„ 526. Nunc ubi me illic non videbit, iam huc recurret, sat scio.

Denique huc pertinet Hec. v. 208:

Meque abs te immerito esse accusatam post modo rescisces, scio.

(Nam aptissime „scio" Sostratae continuant Guyetus et Bentleius, quos Fleikeisen et Dziatzko secuti sunt; quid Laches, si huic „scio" tribuitur, ut in editione Umpfenbachiana, se scire pronuntiet, intellegi non potest).

Quodsi congestis eis exemplis, in quibus paratactice verbum „scio" positum invenitur, reputabimus, quantus sit numerus eorum locorum — sunt fere triginta, quibus forma „scio" cum accusativi cum infinitivo structura coniuncta est — ubi ex verbo sciendi enuntiatum substantivum dependet, Terenti aetate linguae latinae syntaxin adeo iam progressam fuisse, ut in conectendis sententiis severiorem rationem subiungendi non respueret, facile intellegemus. Quaerendum igitur est, num certis causis commotus poëta in illis, quae enumeravimus, exemplis ab usitata structura hypotactica recesserit et parataxis formam admoverit. Weissenhorn (pag. 8 l. l.) summam sententiae existimat positam esse in enuntiato declarativo, quod sententiae primariae formam acceperit atque in eiusmodi locis verbum sive sentiendi sive declarandi appositum esse, ut ea, quae altero enuntiato continentur, quam maxime efferantur. Quod recte dictum esse non nego, si ea exempla respicimus, ubi verbum est antepositum; ubi autem est interpositum aut postpositum, verbi usu paratactico enuntiatum alterum magis efferri mihi per-

suadere non possum. Addendum esse puto, magnam partem eorum locorum, quibus structura subiunctiva usurpatur, eius modi esse, ut eodem iure summam sententiae in enuntiato declarativo positam esse dicas, etsi hoc per accusativi cum infinitivo formam alteri subiunctum sit. Quare plurimis in locis quam rationem Terentius aliique scriptores in constructione paratactica eligenda secuti sint, inveniri non posse fatemur[1]). Sed illud hic monendum mihi videtur, in locis Terentianis, ubi verbum sciendi neglecta subiungendi ratione enuntiato primario quasi temere apponitur vel inseritur, nullam aliam formam verbi occurrere quam temporis praesentis indicativi personam primam numeri singularis uno excepto Hec. v. 67 (quem supra pag. 17 attulimus), ubi imperativi futuri forma ‚scito' interposita est. Omnes aliae formae, ubi apud Terentium ex eis enuntiatum declarativum pendet, structuram hypotacticam efficiunt; ex Plauti fabulis nonnulli loci afferuntur[2]), quibus forma ‚scis' paratactice posita est.

Colligere igitur licet fortasse cum in alternis sermonibus tum in diverbiis comicis saepissime fieri, ut is, qui loquitur, suam ipsius vim neglegat, eo quod verbum personam loquentis continens paratactice alteri enuntiato adiungit. Ita neque Plautum neque Terentium summa licentia usos esse, sed inter certas leges se tenuisse apparet in paratactica structura adhibenda, quod attinet ad verba sentiendi et declarandi. Illud etiam ex eo elucere videtur, quod nunquam enuntiatum primarium enuntiati substantivi loco neque cum verbo sciendi neque cum aliis coniunctum est, ubi verbum et ipsum ex tertio quodam enuntiato suspensum est.

Hoc loco commemorare libet de usu vocis ‚scilicet', quae nihil aliud est quam ‚scire licet'. Eam vocem a classicis qui dicuntur scriptoribus non nisi particulae loco positam esse

1) cf. P. Barth, de inf. apud scaen. poët. lat. usu. Diss. Lips. 1881, pag. 48.

2) cf. Weissenhorn, l. l. p. 5 et 6.

verbi vi omnino neglecta inter omnes constat. Apud Terentium tres loci et ii in una fabula Heaut. inveniuntur, quibus ex illa voce accusativus cum infinitivo dependet:

Heaut. 358 sq. Scilicet | Facturum me esse.
„ 856 sq. Scilicet | Daturum (sc. eum esse).
„ 892. Continuo iniecisse verba tibi Dromonem scilicet . . .

Unde intellegi potest, Terenti aetate vim verbi ‚scire‘, quod inest in voce ‚scilicet‘ nondum plane evanuisse. Ex Plauti fabulis similes locos afferri (Rud. 395 Curc. 263 Pseud. 1179) et Lucretium eundem usum praebere (II, 469) Wagner in adn. ad Heaut. 358 monuit. Neque alienum esse videtur afferre apud Sallustium illum priscorum imitatorem complura eiusmodi exempla nobis occurrere: Jug. 4, 6; 102, 9; 113, 3. frgm. I or. Phil. 5.

Eundem fere paratacticae structurae usum, quem in verbo sciendi invenimus, verbum ‚credo‘ ostendit. Forma ‚credo‘ anteponitur:

Andr. 313. Credo impetrabo, ut aliquod saltem nuptiis prodat dies.
„ 673 sq. Nam satis credo, si advigilaveris,
Ex unis geminas mihi conficies nuptias.
Heaut. 641. Credo, id cogitasti:
Eun. 98. Credo, ut fit, misera prae omore exclusti hunc foras.
Adelph. 79 sq. Credo, iam ut solet | Jurgabit.
„ 150 sq. Credo iam omnium | Taedebat.
(Totum hoc enuntiatum in parenthesi positum est).

Praeter formam ‚credo‘ paratactice usurpatur imperativus ‚crede‘, qui enuntiato primario adiungitur, ut eius qui appellatur, animus in id, quod pronuntiatur, magis intendatur. Antepositus est imperativus:

Phorm. 494. Crede mihi, gaudebis facto.
(cf. Heaut. 85 sq. Ne retice, ne verere, crede inquam mihi

Aut consolando aut consilio aut re iuvero.

Verba, quae imperativum ‚crede‘ sequuntur, non obiectum continent, sed ‚crede‘ idem est, quod ‚confide‘ et verbis sequentibus, cur confidere debeat Menedemus Chremeti, explicatur).

Pronomen demonstrativum ‚hoc‘ imperativo ‚crede‘ adiectum est:

Eun. 898 sq. Crede hoc meae fide, | Dabit hic pugnam aliquam denuo.

Adelph. 163 sq. Crede hoc, ego meum ius persequar, | Neque tu verbis solves umqam; . .

‚Credo‘ interponitur enuntiato primario:

Eun. 468. Perpulchra credo dona aut nostri similia (sc. sunt).

„ 861 sq. Debeam, | Credo isti quicquam furcifero, si id fecerim.

Phorm. 40. Ei credo munus hoc conraditur.

Hec. 704. Nam puerum iniussu credo non tollent meo.

Enuntiato secundario (consecutivo) ‚credo‘ inseritur.

Hec. 128 sq. Ibi demum ita aegre tulit, ut ipsam Bacchidem,
Si adesset, credo ibi eius commiseresceret.

‚Mihi crede‘ interponitur:

Adelph. 101. Non est flagitium, mihi crede, adulescentulum | Scortari, neque potare . . .

Verbum ‚credo‘ postponitur:

Phorm. 140. Ad precatorem adeam credo . . .

Hec 855. Me expectat credo . . .

Praeter formas ‚credo‘ et ‚crede‘ nulla alia huius verbi forma paratactice posita est apud Terentium. Ex Plauto ne imperativum quidem afferri Draeger (§. 369, 1) animadvertit. In comicorum quoque fragmentis sola forma ‚credo‘ paratacticam structuram ostendit:

Caec. Stat. 166. Pudeat, credo, conmemoramentum stupri.

Caec. Stat. 151 sq. Nunc credo inter suas | Aequalis, cognatas sermonem serit.

Titin. 55. Mulier credo advorsum illam res suas conqueritur

Pomp. Bon. 8. Id credo metuis ne [tibi] invidiae siet.

Sext. Turp. 1 sq. Melesia! intus cessas? credo hercle helluo | Tuburcinatur.

Apud Horatium his locis ‚credo' paratactice positum est:

sat. II, 2, 89 sq. Rancidum aprum antiqui laudabant, non quia nasus
Illis nullus erat, sed, credo, hac mente . . . .

sat. II, 7, 68. Evasti: credo, metues doctusque cavebis.

‚Mihi crede' occurrit:

sat. I, 7, 35. Operum hoc, mihi crede, tuorumst.

„ II, 3, 75. Putidius multo cerebrumst, mihi crede, Perilli | Dictantis . . .

„ II, 6, 93. Carpe viam, mihi crede, comes . . .

Certe non casu factum est, ut ‚credo' haud raro etiam ab aliis scriptoribus insereretur orationi 1). Nostrae quoque linguae usum comparandi causa arcessere liceat, qui bene docet, notionem verbi credendi eam esse, ut aptius vi neglecta enuntiato primario quasi temere adiciatur quam verbum ‚scio', quod a nullo fere posteriorum scriptorum paratactice positum esse videtur.

Eandem significationem, quam ‚credo', verbum ‚opinor' habet; quod apud Plautum pariter qualibet collocatione cum enuntiatis primariis coniunctum est, a Terentio nullo loco anteponitur enuntiato, quod ex verbo dependere exspectamus.

‚Opinor' inseritur:

1) cf. Draeger, l. l. §. 369, 1.

Heaut. 673. Retraham hercle opinor [1]) idem illud ad me fugitivum argentum tamen.

" 693. Frustra operam opinor sumo.

Phorm. 615 sq. Nam hercle ego quoque id quidem agitans mecum sedulo | Inveni, opinor, remedium huic rei.

Eun. 563. Nempe, opinor, Thaidem.

Supplendum est hoc loco ex iis, quae antecedunt, verbum ‚amat'. Eodem modo ‚opinor' quasi soluto positum dicitur ab eo, qui alteri interroganti respondet:

Eun. 829. Th. Num id lacrumat virgo? Py. Id opinor.

" 1043 sq. Th. Num quid, Gnatho, tu dubitas quin ego nunc perpetuo perierim? Gn. Sinc dubio opinor.

Duobus his locis ex interrogatione verbum subintellegendum est.

‚Sic opinor' in Phorm. v. 320 verba sunt deliberantis. Phormio secum volvit, quomodo cum Demiphone agat, et consilio apto invento exclamat ‚sic, opinor', quo supplendum est ‚agam'. Idem exemplum praebet Heaut. v. 677 At sic opinor: non potest.

In Adelph. v. 920 hac locutione utitur is, qui sententiae alterius assentitur.

Duobus locis particula ‚ut' ad verbum ‚opinor' accedit:

Andr. 179. At nunc faciet, neque, ut opinor, sine tuo magno malo.

Hec. 598. Sic optume, ut ego opinor, omnis causas praecidam omnibus.

(Similiter ponitur ‚ut conicio' Heaut. 62 sq. Annos sexaginta natus es, | Aut plus eo, ut conicio).

---

1) Non iure Umpfenbach verbum ‚opinor' delevisse videtur, quod omnibus codicibus traditum est.

Uno loco enuntiati soluti vice accusativus cum infinitivo sequitur locutionem ‚ut opinor':

Adelph. 648. Ut opinor eas non nosse te, et certo [1]) scio.

In comicorum fragmentis semel paratactice positum est verbum ‚opinor':

Naev. 129. Haec quidem hercle, opinor, praefica est.

Complures eius modi locos Draeger (§. 369, 2) attulit ex Ciceronis scriptis, unum ex Horatio: ep. I, 16, 78 sq. Opinor, | Hoc sontit: ‚moriar'.

Cui addimus duos alios locos Horatianos.

sat. I, 3, 53 sq. Opinor, | Haec res et iungit, iunctos et servat amicos.

ep. II, 2, 17. Ille ferat pretium poenae securus opinor.

Rarius quam ea, quae modo memoravimus, alia verba sentiendi ut apud Plautum ita in Terenti fabulis structuram paratacticam admittunt: ‚Spero' duobus locis enuntiato primario postponitur:

Andr. 314. Interea fiet aliquid, spero.

Heaut 553. Non usus veniet, spero [2]).

In Nov. frgm. 61 verbum ‚spero' enuntiato primario anteponitur: ‚Spero rem facit'. Enuntiato secundario (temporali) ‚spero' interpositum est in Adelph. v. 226:

Ubi illinc spero redieris tamen, hoc ages. (Nihil refert ad parataxis usum, utrum Spengeli ‚redieris, tamen' an Dziatzkonis ‚redieris tamen', interpretandi rationem sequamur).

Post Terenti aetatem paratacticam verbi ‚spero' structuram raro exstare Draeger (§ 369, 8) animadvertit; apud Ciceronem ‚spero' non positum esse nisi adiecta particula

---

1) cf. Spengeli adn. ad h. l., qui simillimus est Phorm. v. 481 supra (pag. 11) allati.

2) cf. Eun 295. Una haec spes est: ubi ubi est, diu celari non potest.

‚ut' cum enuntiatio primario coniunctum affirmat. Praeterea locutionem ‚quemadmodum spero' apud Ciceronem occurrere addendum est (Or. pro Arch. 3. Verr. III 186).

Uno loco Terentiano ‚sentio' enuntiato primario adicitur:

Andr. 436. Praeter spem evenit, sentio: hoc male habet virum [1].

Verbum ‚cogito' sententia quaedam communis sequitur oratione recta prolata:

Eun. 56 sqq. (— I, 1, 11, non Eun. 11, ut apud Draegerum § 369, 6 legitur):

Proin tu, dum est tempus, etiam atque etiam cogita
Ere: quae res in se neque consilium neque modum
Habet ullum, eam consilio regere non potes.

(Similiter oratio recta occurrit Adelph. 206 sq.:

Verum cogito id quod rest est: quando eum quaestum occeperis,
Accipiundā et mussitanda iniuria adulescentiumst).

Pronomine ‚hoc' verbo cogitandi adiecto enuntiatum sequitur primarium:

Eun. 759. Immo hoc cogitato: quicum res tibist, peregrinus est.

Adelph. 500 sqq. Sed, Demea, hoc tu facito cum animo cogites:

Quam vos facillume agitis, quam estis maxume
Potentes dites fortunati nobiles,
Tam maxume vos aequo animo aequa noscere
Oportet, si vos voltis perhiberi probos.

Ad orationem rectam spectant ea exempla, in quibus particula ‚sic' ad verbum accedit. Huic enim particulae, quae vim demonstrativam habet, cum verbis sentiendi et

1) Sic cum Dziatzkone interpungendum esse puto contra vulgatam interpungendi rationem: Praeter spem evenit: sentio: hoc male habet virum.

declarandi coniunctae in enuntiatis, quae directae quam dicimus orationi, praemittuntur locum esse Braune [1]) demonstravit.

Andr. 110 sqq. [2]) Sic cogitabam ,hic parvae consuetudinis

Causa huius mortem tam fert familiariter;

Quid si ipse amasset?' . . . .

Eun. prol. 14 sq. Dehinc ne frustretur ipse se aut sic cogitet:

,Defunctus iam sum; nil est quod dicat mihi.'

Phorm. prol. 12 sqq. Nunc si quis est, qui hoc dicat aut sic cogitet:

,Vetus si poeta non lacessisset prior,

Nullum invenire prologum posset novos'.

Duobus locis ,video' a Terentio paratactice positum est:

Eun. 714. Non potest | Sine malo fateri, video.

Hec. 770. Noster socer, video, venit.

(Ex Plauti fabulis Weissenhorn unum locum exscripsit, quo hoc verbum cum enuntiato primario coniunctum est: Pseud. 1157 Propero, vides).

In Horati sermonibus duos locos invenimus, qui huc pertinent:

sat. II, 2, 35. Ducit te species, video.

ep. I, 14, 21 sq. Fornix tibi et uncta popina

Incutiunt urbis desiderium, video . . . .

,Audio' hunc usum prae se fert: Andr. 228.

Audivi, Archylis, iam dudum: Lesbiam adduci iubes.

Summa cum indignatione hoc loco Mysis e domo egrediens exclamat, se iam dudum audivisse, quod ut faceret Archylis iterum iterumque abeunti imperat. Aptius igitur oratione recta pronuntiat illa ,Lesbiam adduci iubes'.

---

1) Braune Th., Observ. gr. et crit. ad usum ita, sic, tam (tamen), cideo particularum Plautinum et Terentianum spectantes. Diss. Berol. 1881, p. 9 sq.

2) Non Ad. 83, ut falso scriptum est in Draegeri libro I. l.

Adelph. 160 sq. Aeschine, audi, ne te ignarum
fuisse dicas meorum morum:
Leno ego sum.

Consulto certe hoc quoque loco oratione recta prolata sunt ea verba, quae summam habent vim.

„Censeo“ enuntiato primario adiungitur:

Heaut. 588 Recte dicis, censeo.

Phorm. 102 sq. Censeo: eamus. duc nos sodes.

Monendum est hunc locum narrationi insertum esse, cuius maxime proprium esse sententiarum nexum neglegere neminem fugit, qui leviter comicorum sermonem cognoverit.

Andr. 578 Num censes faceret, filium nisi sciret
eadem haec velle?

Hoc uno loco Terentiano verbi sentiendi personam secundariam paratactice positam notamus. Ut apud Plautum (Rud. IV, 3, 5 Poen. III, 4, 20) interrogationi adiecta esse haec forma videtur, ut alter, qui rogatur, magis etiam animum attendere et respondere cogatur. Non autem vim in ea inesse existimamus, ut iure exspectari possit, enuntiatum substantivum ex ea dependere per hypotacticam structuram. Accedit quod illo Terentiano loco condicio, quae vocatur irrealis contineatur, cuius modi sententias rectas semper stare apud comicos, nunquam in formam orationis obliquae redigi Barth (l. l. p. 48) animadvertit.

Apud Horatium futurum „censebo“ paratactice usurpatum est:

ep. I, 14, 44 Quam scit uterque, libens, censebo,
exerceat artem.

Fortasse metri causa Horatius futurum admisit, ubi forma „censeo“ idem fere valeret.

Silentio praeterire nolim, apud Terentium verbum „puto“ paratactice non esse positum, in Horati sermonibus autem personam secundariam „putas“ adiecta „ne“ particula interrogativa enuntiato primario anteponi:

sat. II 5,76 sqq. Putasne,

Perduci poterit tam frugi tamque pudica,
Quam nequiere proci recto depellere cursu?

In verbis sentiendi et declarandi et Holtze (II 227), quem Draeger (§. 369, 9) secutus est, et Kühner (II 758) numeraverunt locutionem ,certum est', quae compluribus locis Plautinis paratactice coniunctum est cum indicativo futuri temporis. Terentius hanc parataxis formam respuisse videtur: cuius in fabulis nisi cum infinitivo coniunctum non invenitur ,certum est', quamquam pariter atque apud Plautum proprie dictum est, ut idem fere valeat, quod ,decretum est mihi' vel ,decrevi' vel ,mihi proposui' et vertendum sit nostro sermone ,ich bin entschlossen.'[1]) Addendum est, uno loco Terentiano, ubi ,certum est' significat idem, quod ,verum est, accusativo cum infinitivo subiectum esse expressum.

Eun. 704. Jam satis certumst virginem vitiatam esse?

Ut verba sentiendi et dicendi obiectum requirunt, quod enuntiato substantivo plerumque contineri solet, ita verba orandi enuntiata finalia, quae dicuntur, transitiva efficere notum est. Exstant autem apud comicos poetas non rara exempla, ubi id, quod petitur, oratione recta profertur, cui verbum orandi paratactice appositum est. Quod et in parenthesi usurpari videbimus et enuntiatum, quod ex eo dependere exspectamus, praecedere aut subsequi. Primo loco ea exempla ponamus, in quibus verbum ,quaeso' nobis occurrit. Saepis-

1) cf. Wagner, ad Heaut. 466. Brix ad Trin. 270.

sime hoc similiter atque a Plauto cum imperativo coniungitur apud Terentium:

Heaut. 163 sq. Quor non? quaeso tandem aliquantulum | Tibi parce: . . .

„ 1052. Age quaeso, ne tam offirma te, Chremes.

Phorm. 670. Quaeso, ego dabo, quiesce.

Hec. prol. 8. Alias cognostis eius: quaeso hanc noscite.

Adelph. 808. Quaeso hoc facito tecum cogites . .

Andr. prol. 8. Nunc, quam rem vitio dent, quaeso animum adtendite.

Heaut. 971. Prius quaeso disce, quid sit vivere.

Phorm. 141. Nunc amitte quaeso hunc.

Adelph. 190. Illuc quaeso redi, quo coepisti, Aeschine.

Andr. 323. Huic dic quaeso, Byrria.

Eun. 562. Narra istuc quaeso, quid sit.

Phorm. 350. Adeste quaeso.

Hec. 803. Adulescens, dic dum quaeso, tun es Myconius? [1])

(Andr. 204 ‚Bona verba, quaeso‘. Supplendus est imperativus ‚dic.‘)

Ex comicorum fragmentis addimus:

Sext Turp. 6 . . . quaeso cogita ac delibera.

„ “ 160 . . . quaeso omitte ac desere hanc Meretricem . . . .

Pomp. Bon. 30 . . . noli, quaeso, irascere.

Titin. 93. Dic istud, quaeso: quor te avortisti? . . .

---

1) Sic versum codicibus mendose traditum restituit Goveanus, quem secutus est Umpfenbach. Fleckeiseni coniecturam ‚dicedum‘ reiciendam esse demonstravit Engelbrecht (l. l. p. 65), qui ipse scribendum proponit: ‚Age adulescens, dic dum quaeso, es tu Myconius?‘ quod rhytmi causa probandum non videtur. Dziatzko scribere maluit: ‚Adulescens, dicdum mi quaeso, es tu Myconius?‘

Afran. 95 sq. Mane, Servi, quaeso, nisi molestum est, pauca sunt
Tecum quae volo.

Vim igitur exhortativam inesse in verbo ‚quaeso' imperativis adiecto apparet. Eodem modo interrogationibus,[1] quas a commentatione nostra seiunximus, verbum ‚quaeso' adiungi notissima res est. Atque ab hoc usu verbi ‚quaeso' ne Ciceronem quidem abhorruisse ex locis a Draegero (§. 369, 15) et Kühnero (II, 759 adn. 3) allatis cognoscimus.

Imperativi loco coniunctivus solutus cum verbo ‚quaeso' coniungitur:

Andr. 305 sq. Quaeso edepol, Charine, quoniam non potest id fieri quod vis,
Id velis quod possit.

Adelph. 398 sq. Sic siet, | Modo ut nunc est, quaeso.

Pronomen demonstrativum ‚hoc' verbo ‚quaeso' additum ad ea, quae sequuntur, spectat:

Adelph. 247 sqq. Immo hercle hoc quaeso, Syre:
Ut ut haec sunt acta, potius quam litis sequar,
Meum mihi reddatur.

In fragmentis comicorum ‚quaeso' cum coniunctivo coniunctum invenimus:

Afran. 68. [Clam] nobis dictes, quaeso, ne ille indaudiat.

Praeterea huc pertinere censeo hos locos:

Caec. Stat. 78. Quaeso, ne temere hanc rem agas, ne iracunditer.

id. 125. Quaeso ne ad malum hoc addas malum.

Non cum Holtzio (II 174) coniunctionem ‚ne' e verbo praecedente ‚quaeso' dependere explicandum esse statuimus,

1) cf. Becker, l. l. p. 122 sq. — Etiam ab Horatio sic usurpatur ‚quaeso' in sat. I. 10, 51 sq.: ‚Age, quaeso, | Tu nihil in magno doctus reprehendis Homero?'

sed particulam ‚ne' [1]) ut aliis ita his locis adiectam esse existimamus coniunctivo soluto, qui imperativi munere fungitur. Quem usum apud priscos scriptores saepissime inveniri grammatici docent. [2])

Denique ut usum verbi ‚quaeso' totum exponamus, etiam illos locos afferamus, quibus enuntiatum coniunctione ‚ut' connexum ex eo est suspensum:

Eun. 466 sq. Quaeso hercle ut liceat, pace quod fiat tua
Dare huic quae volumus, convenire et colloqui.
Hec. 786. Quaeso edepol, Bacchis, quod mihi es pollicita tute ut serves.
Adelph. 592. Sed quaeso ut una mecum ad matrem virginis eas, Micio.
Andr. 487. Deos quaeso ut sit superstes.
Adelph. 275. Deos quaeso ut istaec prohibeant.
„ 298. Salvos nobis deos quaeso ut siet.
„ 491. Haec primum ut fiant deos quaeso, ut vobis decet [3]).

His quattuor locis postremo allatis, quibus ex fragmentis comicorum addi potest

Naev. 95. Deos quaeso ut adimant et patrem et matrem meos.

ad verbum ‚quaeso' accusativus ‚deos' accedit, unde cognoscas genuinam atque integram verbi vim nondum plane eva-

---

1) Non coniunctionem hanc fuisse, sed particulam quae dicitur prohibitivam apertum est; cf. Jolly, Die einf. Form. d. Hypot. p. 220, ubi de Graeca particula ‚μή' agitur.

2) cf. Kühner II. 141 sq. (Cum illis Caec. Stat. versibus inprimis compares velim Cic. ad Att. XIV. 1, 12 ‚Tu quaeso, quicquid novi (multa autem exspecto) scribere ne pigrere.')

3) Cato r. r. 141, 2 ed. Keil: „Mars pater, te precor quaesoque uti sies volens propitius." Ex Plauto nonnullos similes locos congessit Holtze II. 160.

nuisse Terenti aetate [1]), etsi monendum est, nullum alium accusativum quam ‚deos' occurrere [2]). Ubi autem obiectum verbo additum est, eius vis minui non potuit, sed structuram hypotacticam efficere debuit [3]).

Illos locos Plautinos, ubi apud verbum ‚quaeso' imperativi loco coniunctivus positus est, Weissenhorn (pag. 9) non ad provinciam suam pertinere existimat. Hunc enim modum sine coniunctione ‚ut' usurpatum aut ad hypotaxin spectare aut certe transitum parataxis in hypotaxin significare affirmat Holtzium inprimis secutus, qui (II. 166) coniunctionem ‚ut' saepe in enuntiationibus obiectivis omitti solumque coniunctivum poni scripsit. Sed tribus illis locis, quos memoravimus, Terentianis coniunctivum nequaquam a verbo ‚quaeso' aptum esse, sed optativi vel iussivi vice fungi consentaneum est. Cum coniunctivo etiam omisso verbo ‚quaeso' locus fuerit, certe eos locos et ipsos ad parataxin pertinere statuimus [4]).

Haud ita valde differt ab usu verbi ‚quaeso' usus vocis ‚obsecro'. Imperativis adiectum est ‚obsecro' his locis (et id antepositum):

Eun. 362. Obsecro hercle, Parmeno, fac ut potiar.

---

1) cf. Dziatzko ad Adelph. 275.

2) Apud Ciceronem nusquam accusativus accedit ad verbum ‚quaeso'; cf. Heerdegen, Latein. Semasiologie 3. Heft pag. 215: ‚. . Während noch bei Terenz die Objektverbindung ‚deos quaeso ut' — nicht unbeliebt ist . . . ., hat Cicero bei ‚quaeso' nirgend mehr einen Akkusativ irgend welcher Art. Quaeso ist also bei Cicero durchaus ein gealtertes Wort; wir sehen, wie es bei ihm auch die letzte Kraft verliert, einen abhängigen Akkusativ und einen abhängigen Satz zu regieren.'

3) Monere hic liceat, Beckerum l. l. p. 165 sqq. demonstravisse, conexum enuntiati primarii et secundarii artiorem effici structura anticipationis, qua subiectum enuntiati secundarii in obiectum primarii mutatur. (cf. pag. 36 sq. ‚te obsecro'.)

4) cf. Jolly, Ein Kapitel vergl. Syntax, pag. 62.

Phorm. 803. Au, obsecro, vide ne in cognatam pecces.

Adelph. 155. Obsecro, populares, ferte misero atque innocenti auxilium.

„ 550. Syre, | Obsecro, vide ne ille huc prorsus se inruat.

„ 679. Pater, obsecro, ausculta.

Enuntiato primario inseritur:

Andr. 232 sq. Di, date facilitatem obsecro
Huic pariundi atque illi in aliis potius peccandi locum.

Heaut. 339. Huius modi obsecro aliquid reperi.

Eun. 1049. O Juppiter, | Serva obsecro haec bona nobis!

Hec. 600. Sine me obsecro hoc ecfugere, volgus quod male audit mulierum.

Plurimis locis ‚obsecro' postponitur:

Andr. 473. Juno Lucina, fer opem, serva me, obsecro.

Qui locus iteratur Adelph. 487.

Andr. 861. Audi obsecro.

„ 955. Jube solvi, obsecro.

Heaut. 403. Ah, retine me, obsecro.

„ 432. Duc me ad eum, obsecro.

Eun. 95. Ne crucia te obsecro, anime mi, mi Phaedria.

„ 421. Sed narra obsecro.

„ 685. Tace obsecro.

„ 834. Era mea, tace tace obsecro, salvae sumus.

„ 899. Au, tace obsecro.

Phorm. 197. Cedo, quid portas, obsecro?

„ 473. Loquere obsecro, quonam in loco sunt res et fortunae meae?

„ 553. Quaere obsecro.

Hec. 318. Tace obsecro, mea gnata.

Hec. 556. Mitte adulescentem obsecro | Et quae me peccasse ais.

Nonnullis locis obiectum ,te' verbo additur:

Andr. 351. Obsecro te, quam primum hoc me libera miserum metu.

Heaut. 302. Perge, obsecro te, et cave . . . .

Adelph. 281 sq. Obsecro te hercle, hominem istum inpurissumum
Quam primum absolvitote . . . .

Adelph. 325. Eloquere, obsecro te, quid sit[1]).

---

1) Sic scriptum est in ed. Umpfenbach. Fleckeis. Spengel.; libri omnes habent: ,Eloquere ergo, obsecro te, quid sit' quae metro repugnant. Coniunctivo ,sit' nullum locum esse Becker (l. l. p. 152 sq.) accuratissime demonstravit, qui huic versui ipse duplici modo mederi conatus est. Verbis, quae praecedunt et quae sequuntur, respectis Getam semper singulas voces exprimere monet, hoc tantum loco (v. 325) exclamare duas voces. ,Periimus, Actumst'; quare non semper ,actumst' hoc loco scriptum fuisse ei videtur, sed a librario post vocabulum ,quid' praetermissum et in margine additum, postea ab alio, qui signum appositum non observavit, prave in versus initium transscriptum esse; genuinam igitur huius loci formam hanc fere fuisse statuit: G. Periimus. S. Eloquere ergo, te obsecro, quid actumst. Sed hoc nos offendit in emendatione Beckeri, obiectum ,te' verbo ,obsecro' praepositum esse: quae obiecti collocatio non invenitur nisi in duobus exemplis ex Andr. et in uno ex Eun. infra (p. 35 sq.) allatis, ubi coniunctio ,ut' verbum ,obsecro' sequitur. Dziatzko in adn. ad h. l. Beckero assentiendum esse dicit, coniunctivum ,sit pravum esse, sed facilius remedium adhibendum proponit: Getam hoc loco duas voces exclamare minime esse mirum, quod his verbis enuntiatum saepius interruptum finiatur, particulam ,ergo' ex analogia v. 324 et 326 a librario adiectam esse. Mutare igitur conatus est ,sit' in ,fit'. Quod si placuisset, cum alios tum Beckerum certe inventurum fuisse puto, praesertim cum hic in explicando Plaut. Merc. v. 199 compluribus locis collatis demonstraverit (p. 152), Plautum aliquotiens pro ,quid actumst' verbis ,quid fit' locutione usum esse atque hac recepta illum versum restituerit. Ego quidem cum Dziatz-

In comicorum fragmentis hic verbi ‚obsecro' usus exstat:

Caec. St. 90. Ere, obsecro, hercle desine!

Afran. 201. Hoc obsecro igitur agite et me adiutamini.

Apud Horatium non nisi coniunctum cum verbo ‚obtestor' paratactice usurpatur ‚obsecro':

ep. I. 7, 94. Quod te per Genium dextramque deosque Penates
Obsecro et obtestor, vitae me redde priori!

Nonnullis locis Terentianis verbum ‚obsecro' item ut ‚quaeso' cum coniunctivo soluto coniungitur:

Heaut. 1048 sq. S. Mi vir, te obsecro | Ne facias.
Cl. Pater, obsecro mi ignoscas.

Eun. 905 sq. Perii hercle: obsecro | Abeamus intro, Thais.

Adelph. 309. Propius obsecro accedamus, Sostrata.

Heaut. 291 sq. Syre mi, obsecro, | Ne me in laetitiam frustra conicias.

Non coniunctionis locum tenet hic particula ‚ne', id quod elucet ex Heaut. v. 1048 supra allato, ubi ‚ne facias' excipitur coniunctivo soluto ‚ignoscas' in proximo enuntiato. Ut aliis locis, velut Eun. 95, particula ‚ne' imperativo, sic coniunctivo, qui imperativi munere fungitur, in hoc versu addita est[1]).

Coniunctio ‚ut' a verbo ‚obsecro' dependet:

Andr. 326 sq. Nunc te per amicitiam et per amorem obsecro,

---

kone ‚actumst' ante ‚eloquere' servandum esse (cf. similes locos Heaut. 564 Eun. 54) et potius ‚ergo' delendum existimo, quod alio verbo omisso in textum venisse verisimile videtur. Sed pro ‚fit' quod Dziatzko proponit, iterandum esse censeo ‚actumst' cum Beckero, qui hoc quoque modo versum restitui posse docuit.

1) cf. quae disseruimus in pag. 30 sq.

Principio ut ne ducas [1]).

Eun. 562. Narra istuc quaeso quid sit. Ch. Immo
ego te obsecro hercle ut audias [2]).

Pronomen demonstrativum ‚hoc' verbo adicitur:

Andr. 899. Hoc modo te obsecro, ut ne credas a me
adlegatum hunc senem.

Etiam fragmenta comicorum unum exemplum praebent, ubi coniunctio ‚ut' verbum ‚obsecro' sequitur:

Titin. 32 sq. Tiberi nunc tecum obsecro,
Ut mihi subvenias, ne ego maialis fuam [3]).

Repperimus igitur verbum ‚obsecro' ut ‚quaeso' imperativis et coniunctivis solutis adiectum vim exhortativam prae se ferre. Ubi autem genuinam verbi vim poeta efferri voluit obiecto ‚te' praeposito, paratacticam structuram eum reliquisse exempla postremo allata testantur. Atque hoc monendum est, verbum ‚obsecro' etiam apposito obiecto (te) structuram paratacticam efficere, si obiectum verbo postpositum est. Illis autem locis, quibus obiectum antecedit, apud Terentium quidem enuntiatum secundarium coniunctione ‚ut' conexum sequitur, similiter atque ex verbo ‚quaeso' cum accusativo ‚deos' coniuncto enuntiatum secundarium dependere solet. Itaque etiam locum illum obscurum in Heaut. v. 644 sqq. exstantem ita esse explicandum censeo, ut ex locutione ‚hoc te obsecro' coniunctio ‚ut' (in v. 646) pendeat:

‚Nunc hoc te obsecro,
Quanto tuos est animus natu gravior, ignoscentior,
Ut meae stultitiae in iustitia tua sit aliquid praesidi.'

Pravam igitur puto Dziatzkonis emendationem, qui cum

---

1) Particulam prohibitivam ‚ne' coniunctioni ‚ut' adiectam esse hic monere non omittimus.

2) Fleckeisen ut codd. lectionem ‚siet' in hoc versu servaret, pro ‚obsecro' ‚oro' scripsit; sed illam falsam esse iam dudum demonstratum est; cf. Engelbrecht l. l. p. 51.

3) de locutione ‚tecum obsecro' v. Holtze I. 97.

Bentleio in v. 645 ‚natu' induxit et ‚eo sis' addidit: ‚Quanto tuos est animus [natu] gravior, eo sis ignoscentior'. Num Fleckeisen, quem Wagner secutus est, hunc locum sanaverit eo, quod ‚quanto' in ‚quando' mutavit, magnopere dubitamus.

Praeter eos locos, quibus ‚obsecro' interrogationibus insertum est[1]), qui usus ne a posterioribus quidem scriptoribus alienus est[2]), nonnulli versus afferendi sunt, in quibus ‚obsecro' sententiis affirmativis additur, ut maiore cum vi eae efferantur:

Eun. 664. Perii, obsecro! tam infandum facinus, mea tu, ne audivi quidem.

„ 1054. Obsecro, Gratho, in te spes est.

Phorm. 754. Ch. Quid? duasne uxores habet? So. Au, obsecro, unam ille quidem hanc solam.

His locis notio orandi, quae genuina est verbi ‚obsecro', plane evanuit et verbum prope ad vim particulae exclamationis accedit[3]). Denique monemus ut verbi ‚quaeso' ita verbi ‚obsecro' solam hanc formam temporis praesentis personam primam singularis numeri et apud priscos et apud posteriores scriptores paratactice positam inveniri, cuius rei causam in liberiore sermonis alterni ratione quaerendam esse iam supra (p. 25 sq.) exposuimus. (Aliae huius verbi formae iam apud Terentium ubique structuram hypotacticam habent, velut Hec. 387. Phorm. 112).

Rarius quam ‚quaeso' et ‚obsecro' verbum ‚oro' imperativo adiectum est:

Eun. 912. Move te oro ocius, | Mea nutrix.

(Accusativum ‚te' ex imperativo ‚move' pendere docemur Andr. v. 731 Move ocius te . . .)

Andr. 595 sq. Si. Nunc te oro, Dave, quoniam solus mi effecisti has nuptias,

---

1) cf. Holtze II. 281.

2) cf. Kühner II. 759 adn. 3. Draeger §. 369, 15.

3) cf. Langen, l. l. p. 329.

Da. Ego vero solus. Si. gnatum mi corrigere porro enitere.

Hoc altero loco imperativus, qui verbum ‚oro' cum obiecto ‚te' coniunctum enuntiati secundarii vice sequitur, aptissimus est, quod aliud enuntiatum interpositum est simulque Simonis oratio verbis Davi quodammodo interrumpitur[1]).

Coniunctivus solutus ad verbum ‚oro' cum accusativo ‚te' antecedente coniunctum accedit:

Porm. 1020. Quam ob rem te oro, ut alia facta tua sunt, aequo animo hoc feras.

Hec. 721. At te oro porro in hac re adiutor sis mihi.

Plures exstant loci, quibus verbo ‚oro' enuntiatum secundarium coniunctione ‚ut' subiungitur. Duo eorum pronomen demonstrativum habent praeter accusativum eius, qui rogatur:

Andr. 556. Em, id te oro ut ante eamus.

Eun. 1084. Unum etiam hoc vos oro, ut me in vostrum gregem | Recipiatis.

Eiusdem generis est unum exemplum, ubi particula ‚ne' occurrit:

Heaut. 633. Primum hoc te oro, ne quid credas me advorsum edictum tuom | Facere esse ausam.

Pronomen demonstrativum abest:

Andr. 834. Per ego te deos oro, ut ne illis animum inducas credere . . .

Eun. 885. Nunc ego te in hac re mi oro ut adiutrix sies . . .

Cum altero verbo (‚postulo') coniunctum est ‚oro' in Andr. v. 823 sq.

1) cf. Becker, l. l. p. 123 ‚Laxissimus . . . est enuntiati primarii et secundarii conexus in nonnullis exemplis, ubi aut ad imperativum enuntiatum relativum accedit aut inter imperativum et interrogationem tertium aliquod enuntiatum interponitur, quo interrogatus interroganti obstrepit . . .' Idem fere in locum supra allatum quadrare videtur. cf. Heerdegen, l. l. p. 33.

,Immo enim nunc quom maxume abs te postulo atque oro, Chremes,
Ut beneficium verbis initum dudum nunc re comprobes.

(Ad verbum ,oro' obiectum facile subintellegitur ex ,abs te'.)

Alius generis est Andr. v. 592 Gnatam ut det oro... Simo enim hoc loco alterum, quocum loquitur, non orat, sed Davo narrat, se Chremetem orare vel potius oravisse, ut daret gnatam; nequaquam igitur hoc loco oratio recta apta esset.

Sine obiecto personae ,oro' structuram hypotacticam efficit in Afran. frgm. 84:

Principium hoc oro in animo ut sic statuas tuo . .

In Sext. Turp. frgm. 211 ,ut' dependet ex locutione ,hoc te oro':

,Hoc te oro, ut illius conmiserescas miserulae orbitudinis.'

In Horati sermonibus praeter unum locum, quo interrogatio verbum ,oro' sequitur imperativi fere vice (sat. I 7, 33 sqq., Per magnos, Brute, deos te | Oro, qui reges consueris tollere, cur non | Hunc Regem iugulas?), bis coniunctivus solutus cum ,oro' coniungitur:

sat. II 4, 5. Sed des veniam bonus oro.

sat. II 6, 13 sqq. Hac prece te oro:

Pinguae pecus domino facias et cetera praeter
Ingenium, utque soles custos mihi maximus adsis!

(Animadvertendum est, eodem iure orationem rectam exstare nos dicere, quae verbis ,hac prece' antepositis indicatur.)

Memorando dignus est etiam hic locus:

sat. II. 6, 34 sqq. ,Ante secundam
Roscius orabat sibi ad esses ad Puteal cras'.
,De re communi scribae magna atque nova te
Orabant hodie meminisses, Quinte, reverti'.

Formas ,orabat' et ,orabant' hic sequitur coniunctivus solutus, cui coniunctionem ,ut' adiectam esse exspectamus.

Monere oportet, poëtam illa verba servos dicentes facere, quibus sermone vulgari uti maxime licet.

Excepto hoc loco solam temporis praesentis personam primam numeri singularis ut verbi ‚obsecro‘ ita verbi ‚oro‘ paratactice esse usurpatam addimus. Neque apud Silium solum praeter Plautum hunc usum inveniri notamus[1]) — contra Draegerum (§. 369, 15), qui exempla tantum a Kühnero (II. 759) congesta respexisse videtur. Imperativo adiectum est ‚oro‘ etiam apud Cic. ad Att. IV. 8. b. 1, Dic, oro te, clarius. Hor. carm. I 8, 1 Lydia, dic. per omnes | Te deos oro . . . Nep. Att. 4, 2 Noli, oro te . . Imperativi loco coniunctivus solutus occurrit Ovid. ex Pont. IV 1, 19 Idque sinas, oro, nec fastidita repellas | Verba nec officio crimen inesse putes. Verg. Aen. V, 796 Quod superest, oro liceat dare tuta per undas | Vela tibi.

In verbis orandi numerandum putamus etiam ‚cupio‘, quod uno loco Terentiano ita ponitur, ut id, quod cupitur, oratione recta proferatur:

Andr. 681. Cupio: restitue quem a me accepisti locum.

(Ceteris locis ‚cupio‘ infinitivi structuram efficit.)

Verbum ‚spero‘ sensum verbi cupiendi attingere in Adelph. v. 411 recte animadvertisse Spengel mihi videtur, qui illum versum hac interpungendi ratione scribendum proponit: ‚Salvos sit, spero. Est similis maiorum suom‘, ut nostro sermone vertendumsit: ‚Gott erhalte ihn, wünsche ich‘. ‚Spero‘ optationi ‚salvos sit‘ simili sensu ac ‚quaeso‘ (cf. v. 399) additum esse ille affirmat, sed equidem non esse puto, quod vertamus ‚wünsche ich‘, cum sententiae non repugnet ‚Gott erhalte ihn, ich hoffe es‘. Si ceteros editores sequimur, qui sic interpungunt: ‚Salvos sit! spero, est similis maiorum suom‘, ‚spero‘ idem valere quod ‚puto‘ statuendum est aut cum Bentleio mutari oportet ‚est‘ in ‚erit‘. Sed Demea ex iis,

---

1) cf. Heerdegen, l. l. p. 33.

quae Syrus servus narravit de filio, hunc similem esse maiorum suorum cognovit et ob hanc ipsam causam eum salvum esse cupit atque id, quod cupit, se impetraturum esse sperat. (cf. Andr. 931. Utinam id sit, quod spero!)

Ad verba orandi etiam ‚invoco' pertinet, quod in Sext. Turp. frgm. 118 imperativo paratactice appositum est:

‚Te, Apollo sancte, fer opem, teque, omnipotens Neptune, invoco,
Vosque adeo, venti! . . .

Denique afferamus hoc loco formulam ‚amabo', quae si sensum spectaveris, idem fere valet, quod vocabula ‚quaeso, obsecro, oro'. Similiter atque haec ut apud Plautum ita apud Terentium ‚amabo' imperativis adicitur:

Eun. 130. Hoc agite, amabo.
„ 150. Id amabo adiuta me, quo id fiat facilius.
„ 534. Fac amabo.
„ 663. Vise amabo, num sit.
„ 838. Vide amabo, si non, quom aspicias, os impudens | Videtur!

In comicorum fragmentis occurrunt haec exempla:

Naev. 82. Cave [ne] cadas amabo.
Titin. 109. Paula mea, amabo, pol tuam ad laudem addito ‚Praefiscini'!

Addimus ‚amabo' formulam etiam interrogationibus accedere itidem ut ‚quaeso' et ‚obsecro':

Eun. 674. Haben hominem, amabo?
„ 915. Amabo, quid ait?
Heaut. 404. Amabo, quid tibiet?
Hec. 70. Hiscine tu amabo non contra insidiabere?
„ 824 sq. ‚Mi Pamphile', inquam, ‚amabo,
Quid exanimatus obsecro es? . . .'

(Hoc loco una et ‚amabo' et ‚obsecro' interrogationi additum inveniri monemus).

Titin. 80. Sed te amabo: quid desubito tam repente ad me venisti?

Brix ad Men. 422. Forcellini lexicon, ut opinor, secutus formulam ‚amabo' verbis ‚amanter rogabo' explicat. Etsi concedimus hanc fere esse formulae notionem, tamen quaerendum est, unde id fieri possit, ut verbum ‚amare' significationem rogandi accipiat, neque satis hoc expeditur iis locis conferendis, ubi ‚amabo' enuntiatum secundarium coniunctione ‚ut' conexum efficit, praesertim cum futuri temporis usus[1]) unde ortus sit, explanari debeat. Holtze (II 160) ad Lindemannum delegat, qui ad Plaut. Mil. III 3, 26 (900) formulam ‚amabo' per ellipsin ita explicandam ducit: ‚amabo te, si dicas, quod quaero, facias, quod volo'. Idem sentit Langen, qui (p. 290 sq.) vocabulum ‚amabo' notione verbi orandi praeditum centum fere locis Plautinis reperiri commemorat et temporis futuri usum enucleasse satis habet additis nostrae linguae verbis: ‚Ich werde dich lieben, wenn du dies thust'. Quam explicandi rationem satis placere confitemur, sed ellipsin arcessendum esse negamus. Immo dubium non esse nobis videtur, quin formulae ‚amabo' usus ad paratacticam structuram revocandus sit, ut imperativum, cui illa adicitur, enuntiati condicionalis, ut ita dicam, munere fungi putes et ‚fac amabo' idem sit quod ‚si facies, amabo (te)'[2]). Unde nullam aliam formam quam futurum ‚amabo' hac significatione praeditam esse apertum est. Usu longo factum esse Lindemanno assentimur, ut formula ‚amabo' etiam sic simpliciter ponatur ut ‚quaeso, precor, oro'. Neque mirum est, quod perdita genuina verbi notione etiam coniunctio ‚ut' pariter atque a verbis orandi a formula ‚amabo' dependet. Apud Terentium unus eiusmodi locus exstat:

Eun. 537. Amabo ut illuc transeas ubi illast.

Addamus hunc, quem exposuimus, formulae ‚amabo' usum

---

1) cf. quae Dombart in Philol. 28, pag. 738 scripsit: Es ist eine sehr alte Beobachtung, dass ‚amabo' eine Bitte, ‚amo' einen Dank ausdrückt.

2) cf. quod infra dictum est de enunt. condic.

ne a Ciceronis quidem sermone alienum esse: et paratactice compluribus inprimis epistolarum locis imperativo adicitur et structuram subiunctivam efficere potest.

Verbis orandi iis pertractatis, quae structuram paratacticam praebent, transeamus ad verba faciendi, a quibus enuntiata consecutiva, quae dicuntur, transitiva dependere satis constat. Sed verbi ‚facere‘ forma prisca ‚faxo‘ ut apud Plautum ita apud Terentium nonnullis locis enuntiatis primariis adiecta occurrit [1]:

Andr. 854. Immo vero indignum, Chremes, iam facinus faxo ex me audies [2].
Eun. 285. Ne tu istas faxo calcibus saepe insultabis frustra.
„ 663. Jam faxo scies.
Phorm. 308. Jam faxo hic aderit.
„ 1055. Jam hic faxo aderit.
Adelph. 209 sq. Cupide accipiat faxo atque etiam
Bene dicat secum esse actum.
„ 846 sq. Atque ibi favillae plena, fumi ac pollinis
Coquendo sit faxo et molendo.
Phorm. 1028. Faxo tali sit mactatus atque hic est infortunio [3].

Tribus igitur locis si codicum fidem sequimur, coniunctivum solutum cum voce ‚faxo‘ coniunctum invenimus. Mad-

---

1) Multo rariorum quam apud Plautum vocabuli ‚faxo‘ usum esse apud Terentium inter alios Draeger (§. 369, 16) adnotavit.

2) Klotz ‚audias‘ revocavit, ceteri autem editores cum Bentleio ex codicibus ‚audies‘ receperunt.

3) Sic versus traditur codice Bembino, ex quo nuper Dziatzko eum recepit.

vigius (opusc. acad. II, 77 sq.) eis exemplis, quae futurum praebent, quasi fundamento nisus, ubi coniunctivus praesentis invenitur, eum in futurum mutavit. Hanc sententiam doctissimi illius viri Weissenhorn (p. 10) refellere conatur, cum nullam causam esse dicat, cur a codicum fide recedatur. ‚Nam coniunctivi solute positi usus — ipsius verba affero — tam late patet apud Plautum, ut nihil in eo sit, quod nos offendat. Accedit, ut vocabulum ‚fac‘ (face, facito) simili sensu positum persaepe eandem structuram praebeat.‘ Verum ob hoc ipsum, quod coniunctivus solute positus cum verbis faciendi ab omnium aetatum scriptoribus latinis coniungi solebat, facillime fieri potuisse Madvig affirmat, ut librarii in hac re saepissime errarent. Hac de causa etiam Terentianis locis supra allatis coniunctivum 'falso scriptum et futurum restituendum esse censet. Sed Fleckeisen[1]) (Philol. II, 102) ex sententiarum conexu coniunctivum necessarium esse in Trin. I 2, 24 docet atque hoc loco nos moneri addit, ne cum Madvigio omnibus in locis futurum restituere conemur; duobus locis Plautinis (Bacch. IV 8, 23 sq. et III 4, 7) collatis demonstrat, quantum intersit inter futuri et coniunctivi usum et illic coniunctivum hic futurum locum suum obtinere ostendit. Eisdem locis comparandis eodem fere modo hanc rem explanavit Ed. Luebbert[2]). Hunc secutus etiam Terentianis illis locis Madvigi emendationem reiciendam esse puto; coniunctivum enim solute positum iussivi loco aptissime usurpatum esse in illis exemplis maxime perspicuum est.

Spengel (ad Andr. v. 854) commemorat coniunctivum

---

1) Qui affert iam G. Hermannum Madvigi sententiae repugnasse.

2) Gramm. Studien. I. Der Conj. Perf. und das Fut. ex. im älteren Latein (1867) p. 101: „Ein Unterschied der Bedeutung zwischen Conj. und Fut. primum in dieser Bedeutung lässt sich wohl angeben. Der Conj. bezeichnet mehr die Nöthigung eines andern Subjekts, während das Futur ein einfaches Hervorbringen einer Wirkung ausdrückt“.

praesentis temporis cum vocabulo ‚faxo' conexum non inveniri, nisi huic antepositus est. Num collocatio verbi ‚faxo' alicuius sit momenti, discernere non audemus. Repugnat enim illi legi Phorm. v. 1028, quem codice Bembino recte traditum esse non est cur negemus. Accedit quod in comicorum fragmentis unus locus occurrit, quo coniunctivus verbum ‚faxo' sequitur:

Afran. 67. Immo olli mitem faxo faciant fustibus.

(In Eun. v. 311 Klotz ex codice Bembino ‚faxis' recepit, quod ceteri creditores omnes recte reiciunt scribentes ‚fac sis'.)

Addimus formam ‚faxo' uno loco Terentiano (Heaut. 341) cum participio perfecti iunctam esse ut Plaut. Rud. III 5, 21 (800 ed. Fleck.).

Aliae verbi ‚facio' formae apud Terentium [1]) aut coniunctivum solutum aut enuntiatum secundarium coniunctione ‚ut' annexum habent. Cum coniunctivi soluti usus originem in structura paratactica esse quaerendam putemus, eius exempla hic ponere non omittimus:

Eun. 189. Tu, Parmeno, huc fac illi adducantur.
„ 196. Meus fac sis postremo animus, quando ego sum tuos.
„ 207. Fac, ita ut iussi, deducantur isti.
„ 311. Fac sis nunc promissa adpareant.
„ 319 sq. Nunc hanc tu mihi vel vi vel clam vel precario
Fac tradas.
„ 500 sq. Diligenter, Pythias, | Fac cures . . . .
„ 769. Fac animo haec praesenti dicas.
„ 1042. Tu frater ubi ubi est fac quam primum haec audiat.

1) Ex Plauto Holtze II, 228 formam ‚faciam' cum futuro paratactice coniunctam affert: Cas. V. 2, 23 ‚Cavebunt, qui audierint, faciam'.

Heaut. 925 sq. Fac te patrem esse sentiat; fac ut audeat
Tibi credere omnia . . .

(Hoc eodem in versu priorem imperativum ‚fac' coniunctivus solutus, alterum coniunctio ‚ut' sequitur.)

Adelph. 380 sq. Salsamenta haec, Stephanio,
Fac macerentur pulchre.

„ 511 sq. Bono animo fac sis, Sostrata, et istam quod potes
Fac consolere.

„ 813 sq. Conserva, quaere, parce, fac quam plurimum
Illis relinquas.

Heaut. 550. At heus tu, facito dum eadem haec memineris . . .

Adelph. 500. Sed Demea, hoc tu facito cum animo cogites.

„ 808. Quaeso hoc facito tecum cogites.

Heaut. prol. 28. Facite aequi sitis.

Eun. 506. Domi adsitis facite.

Adelph. pr. 24 sq. Facite aequanimitas
Poetae ad scribendum augeat industriam.

Addimus ex comicorum fragmentis:

Pomp. Bon. 103. Nunc quando voluisti facere, fac voluptati sies | Ibus.

Falsum esse videtur, quod traditum est in

Titin. frgm. 103. Nunc hoc uror, nunc haec res me facit festinem.

Nam nullo alio loco alia forma quam imperativus verbi ‚facere' cum coniunctivo soluto coniungitur excepta illa prisca forma ‚faxo'. Praeterea monendum est structuram anticipationis hoc loco exstare, qua conexum enuntiati primarii et secundarii artiorem effici Becker demonstravit, ut supra (p. 32) adnotavimus.

Ne quid relinquamus, ea quoque exempla afferamus, in quibus coniunctio ‚ut' verbum ‚facio' sequitur:

Audr. 408. Proin tu fac apud te ut sies.
„ 483. Nunc primum fac ista ut lavet.
„ 712. Huc fas ad me ut venias, si quid poteris [1]).
Heaut. 84. Ne lacruma, atque istuc, quidquid est, fac me ut sciam.
Eun. 281 sq. Fac ut admittar | Ad illam.
„ 362. Obsecro hercle, Parmeno, fac ut potiar.
„ 815. Domi focique fac vicissim ut memineris.
Hec. 769. Sed quom tu satura atque ebria eris, ut puer satur sit facito.
Adelph. 50. Ille ut item contra me habeat facio sedulo.
Andr. 701. Id faciam, in proclivi quod est, per me stetisse ut credat.
Eun. 309. In ea re utilitatem ego faciam ut cognoscas meam.
Andr. 37. Feci ex servo ut esses libertus mihi.
Hec. 857. Factis ut credam facis.
Andr. prol. 17. Faciuntne intellegendo, ut nil intellegant.
Hec. 774. Pamphilo me facere ut redeat uxor | Oportet.

Accipe porro exempla, quae in comicorum fragmentis inveniuntur huius generis:

Pomp. Bon. 10 sq. Bucco, puriter | Fac ut rem tractes.
„ „ 50. Facite ut ignis fervat . . .

---

1) ‚Fac', quod etiam Dziatzko in textum recepit, contra codicum lectionem ‚face' restituendum esse Engelbrecht l. c. p. 64 affirmavit Schubertum secutus ‚Symbolae ad Ter. emendandum'. progr. Vimar. 1878 p. 15 sq.

Pomp. Bon. 92. Evannetur et mea opera ut fiat fecero ocius.

Exemplis omnibus quae huc pertinent, congestis monendum est, coniunctivum solutum nisi imperativi formis (fac, facito, facite) non accedere (excepto versu ex Titin. frgm. allato, quem falsum esse statuimus), ex aliis verbi ‚facio' formis enuntiatum coniunctione ‚ut' conexum pendere.

Denique afferamus uno loco Terentiano cum imperativo ‚fac' alterum imperativum coniunctum esse:

Adelph. 942. Fac, promitte.

Sed hic locus ad idem genus parataxis revocari non potest, cum imperativo altero non obiectum prioris contineatur. Immo mente supplendum est ad imperativum ‚fac' ‚quod oramus', id est, ‚promitte te ducturum esse uxorem Sostratam'. Duos imperativos per asyndeton poni, ut brevitati atque robori sermonis consulatur, linguae latine proprium esse Draeger (§. 311, 17) affirmat.

Hucusque ea parataxis genera investigavimus, quae verbis quibusdam efficiuntur, ubi enuntiatum, quod dicitur, substantivum enuntiato primario expressum est. Restat ut illa exempla afferamus, in quibus pronomen demonstrativum ‚hoc' antecedens, ut animus magis iam ad ea, quae sequantur, dirigatur, ipsum[1]) enuntiatum substantivum requirit, cuius loco enuntiatum primarium ponitur. Duo huius usus exempla a Draegero (§. 369, 17) allata sunt:

Eun. 971 sq. Ex meo propinquo rure hoc capio commodi:
Neque agri neque urbis odium me umquam percipit.

(Obiecti vice fungitur enuntiatum alterum)

Adelph. 346 sq. Hoc relicuomst:
Si infitias ibit, testis mecum est anulus quem amiserat.

1) Eos locos ubi pronomen demonstrativum ad verba sentiendi, declarandi, orandi accedit, in singulis verbis enarrandis posuimus.

Praeterea huc pertinent hi loci:

Adelph. 632. Nunc hoc primumst: ad illas ibo, ut purgem me.

Andr. 215 sq. Ad haec mala hoc mi accedit etiam: haec Andria,
Si ista uxor sive amicast, gravida e Pamphilost.

„ 249 sq. Nisi si id est, quod suspicor:
Aliquid monstri alunt . .

Eun. 1041. Jam hoc aliud est quod gaudeamus: miles pelletur foras.

„ 1081 sq. Praeterea hoc etiam, quod ego vel primum puto,
Accipit homo nemo melius prorsus neque prolixius.

Eiusdem generis exempla occurrunt apud Horatium:

sat. I 4, 9 sq. Nam fuit hoc vitiosus: in hora saepe ducentos,
Ut magnum, versus dibtabat stans pede in uno.

(Pronomen ‚hoc‘ ablativum esse monemus).

sat. I, 3, 4 sq. Sardus habebat | Ille Tigellius hoc:
Caesar, qui cogere posset, | Si peteret per amicitiam patris atque suam, non | Quicquam proficeret . . . .

(In versibus, qui antecedunt allatis, coniunctio ‚ut‘ sequitur locutionem ‚hoc vitiumst‘.)

Postremo ponamus unum locum, quo enuntiato primario subiectum adiectivi ‚verum‘ continetur:

Andr. 769 sq. Verum: vidi Cantharam | Suffarcinatam.

Ex hoc exemplo clare intellegi potest, quomodo adiectivum ‚verum‘ ad particulae affirmativae notionem pervenerit. Davus dixerat (v. 768) se vidisse puerum adferri . . . Tum Mysis exclamat: ‚o hominem audacem‘. Deinde Davus affirmat id quod dixerat his verbis: ‚Verum: vidi . .‘. Supplendum igitur ‚est‘ iudicamus neque particulae munere fungi ‚verum‘

hoc loco Terentiano censemus[1]), quamquam concedimus ‚verum‘ (sc. est) idem esse, quod nostro sermone particula ‚ja‘ significamus. Haud aliter explicandum esse ‚verum‘, ubi solute positum est, non enuntiato adiectum, et Spengel et Dziatzko ad Adelph. v. 543 adnotaverunt.

Jam supra (pag. 32) in verborum orandi usu paratactico illustrando coniunctivum quoque solutum cum illis coniunctum ad parataxin pertinere nobis esse persuasum diximus. Itaque ab nostra provincia alienum non putamus ea quoque verba enumerare, quae praeter illa iam allata coniunctivi coniunctione soluti structuram admittunt. Monemus Holtzium[2]) et ‚ut‘ coniunctionem saepe in enuntiationibus obiectivis et ‚ne‘ coniunctionem apud verbum ‚cavere‘ saepe omitti solumque coniunctivum poni affirmare. Sed fieri non potuisse patet, ut libidine quadam ‚ut‘ et ‚ne‘ coniunctiones omitterentur in enuntiationibus, quae subiunctiva structura cum aliis coniungi solebant. Immo illum coniunctivum solutum per se stare et laxiore quadam conectendi ratione cum verbis coniungi statuendum est, ut potius ei illa verba paratactice apposita esse, quam ipsum ab illis dependere dicamus[3]). Paratactica igitur structura illis locis, ubi coniunctivus solutus ponitur, verbis quibusdam adiectus, iuxta subiungendi rationem adhibita est, ut in illis exemplis, quae ad verborum sentiendi et declarandi usum paratacticum illu-

1) cf. Langen, l. l. p. 116. ‚Verum‘ dient bei Plautus nicht als Betheuerungspartikel in den Antworten mit bejahendem Sinn‘.

2) l. l. II, 166 et 174. cf. Kühner II. 808. Draeger §. 409.

3) cf. Jolly, Ein Kapitel vergl. Synt. p. 63. Die einfachste Form der Hypot. p. 218 sq.

strandum attulimus, enuntiatum primarium enuntiati secundarii loco usurpari demonstravimus, etsi iamdudum structura subiunctiva in usum venerat aetate Plauti et Terenti. Posterioribus autem temporibus, cum severiores leges syntacticae vulgo observari coeptae essent, grammatici quidem, qui coniunctivi solute a priscis scriptoribus positi vim non iam intellexerant, coniunctiones ‚ut' et ‚ne' omissas esse explicaverunt.

Primo loco ponamus ea exempla, in quibus verbum ‚sino' cum coniunctivo soluto coniunctum est:

Andr. 895. Age dicat, sino.

Coniunctivum, qui dicitur, concessivum hoc loco occurrere manifestum est (cf. v. 889). Simo, qui aliquantum temporis filium audire recusavit, Chremetis precibus motus denique concedit, ut filius, quae velit, dicat, et id, quod Chremes modo locutus est, excipit idem verbum ‚dicat' repetens, cui ‚sino' additur, ita ut nequaquam huius vis ad coniunctivum ‚dicat' pertineat. Itaque cum Spengelio et Dziatzkone sic interpungendum esse censemus ‚Age dicat, sino'.

Idem editores Bentleium secuti ipsa interpungendi ratione iudicaverunt paratactice formam ‚sino' coniunctivo soluto adiectam esse in

Adelph. v. 996 sq. Sino: | Haceat; in istac finem faciat [1]).

Imperativus ‚sine' cum coniunctivo soluto coniungitur

Andr. 622. Sed sine paululum ad me redeam . .
„ 900. Sine me expurgem atque illum huc coram adducam.
„ 901. Sine te hoc exorem.
Eun. 185. Hoc modo sine te exorem.
Hec. 744. Sine dicam.

---

1) Sic Dziatzko interpunxit neque quidquam refert in Spengeli editione versum hunc in modum esse scriptum: ‚Sino. | Habeat. In istac finem faciat'.

Adelph. 936. Sine te exorem.
Eun. 283. Sine biduom hoc praetereat.
„ 739. Sine veniat.
Phorm. 515. Exoret sine.
Heaut. 1050. Sine te exorent.
Adelph. 815. Mea, quae praeter spem evenere, utantur sine.

In Hec. prol. v. 10. imperativus pluralis numeri ‚sinite' occurrit: ‚Sinite, exorator sim'.

Holtze (II, 161) duos locos affert, quibus verbum ‚sino' coniunctio ‚ut' sequitur:

Andr. 188. Dum tempus ad eam rem tulit, sivi, animum ut expleret suom.
Hec. 590. . . Neque sinam ut qui nobis, mater, male dictum velit,
Mea pertinacia esse dicat factum . . .

Sed priore loco ‚ut expleret' enuntiatum finale esse Spengel statuit, quod Plautus et Terentius verbum ‚sinere' semper cum coniunctivo soluto aut cum infinitivo [1]) ponant. Alterum autem Hecyrae locum huic legi repugnare apparet; enuntiato enim coniunctione ‚ut' conexo obiectum verbi ‚sinam' continetur neque aliter a Spengelio hunc locum explicari posse arbitramur. Monere non omittimus, his duobus locis aliam formam quam ‚sino' et ‚sine' exstare [2]).

Apud Horatium [3]) paratacticus usus imperativi ‚sine' invenitur his locis:

ep. I. 16, 70 sqq. Sine pascat aretque,
Naviget ac mediis hiemet mercator in undis,
Annonae prosit, portet frumenta penusque.
ep. I, 17, 32. Refer et sine vivat ineptus!

---

1) Notamus undeviginti locis Terentianis, quorum quinque imperativum praebent, verbum ‚sino' coniunctum esse cum infinitivo.

2) cf. pag. 18.

3) Alii eius modi loci ex scriptoribus classicis afferuntur a Kühnero l. l. II p. 809.

Ut verbi ‚sino' sic verbi ‚iubeo' imperativus a Terentio cum coniunctivo soluto coniungitur:

Heaut. 737. Jube maneat.

Eun. 691 sq. Jube mi denuo | Respondeat.

Adelph. 914 sq. Jube nunciam | Dinumeret ille Babylo viginti minas.

Ex eo quod verbum ‚iubeo' apud Terentium nusquam coniunctionem ‚ut' recipit, maxime elucere mihi videtur coniunctivum solutum, qui iussivi locum tenet, ad paratacticam structuram esse revocandum. Nam si coniunctionem ‚ut' omissam esse cum Holtzio ponamus, eam cum verbo ‚iubeo' coniungi solere colligendum sit atque certe mirum sit, nullo loco Terentiano verbum ‚iubeo' illam coniunctionem recipere, sed ceteris locis infinitivum cum verbo ‚iubeo' esse coniunctum [1]).

Coniunctivus solutus verbum ‚iubeo' sequitur etiam in

Pomp. Bon. frgm. 58. Jube modo adferatur munus.

Ad orationem rectam revocandum esse putamus hunc locum Horatianum, ubi pronomen ‚illud' ad id, quod sequitur, spectat:

sat. II. 5, 70 sqq. Illud ad haec iubeo: mulier si forte dolosa
Libertusve senem delirum temperet; illis
Accedas socius, laudes, lauderis ut absens . . .

Multo crebrior usus coniunctivi soluti exstat in verbo ‚volo'. Exempla apud Terentium inveniuntur haec:

Andr. 388. Ducas volo hodie uxorem.

„ 418. Hodie uxorem ducas, ut dixi, volo.

---

1) Ex fabulis Plautinis Holtze (II. 159) tres locos attulit, quibus coniunctio ‚ut' cum verbo ‚iubeo' coniuncta occurrit. Addimus imperativum ‚iube' coniunctionem ‚ut' recipere in Afran. frgm. 177. ‚Inde ut puellam curent, conforment iube'. Enuntiatum secundarium antecedit hoc loco.

Heaut. 162. Apud me sis volo.
„ 1066. Syre ignoscas volo.
Phorm. 819. Ne filii quidem hoc nostri resciscant volo.
Hec. 753. Sed scin, quid volo potius sodes facias?
Andr. 708. Verum vis dicam?
Eun. 894 sq. Vin interea, dum venit,
Domi opperiamur potius quam hic ante ostium?
„ 1054. Quid vis faciam?
Heaut. 818. Quid igitur dicam tibi vis? [1])
„ 846. Dic quid vis faciam?
Hec. 436. Quid vis dicam?
„ 787. Ob eam rem vin ergo intro eam?
Adelph. 138. Unum vis curem: curo [2]).
Phorm. 102. Voltisne eamus visere?
„ 449. Ego quae in rem tuam sint ea velim facias.
Adelph. 519. Quod cum salute eius fiat, ita se defetigarit velm ....
„ 681. Ita velim me promerentem ames ..
„ 532. Vah, quam vellem etiam noctu amicis operam esset dari!

‚Nolo' hoc modo ponitur:

Andr. 819. Me nolo in tempore hoc videat senex.
Eun. 906 sq. Nolo me in via | Cum hac veste videat.
Heaut. 701. Quin nolo mentiare [3]).

---

1) Sic huius versus priorem partem restituendam esse editores consentiunt praeter Umpfenbachium, qui crucem praefixit litteris codicibus traditis ‚visabisti'. Num reliqua recte sint sanata, dubitare licet.

2) De interpungendi huius versus ratione id conferas velim, quod infra in enuntiatis condicionalibus tractandis exposuimus; sed hic monere non omittimus, ceteros locos, quibus forma ‚vis' coniunctivo soluto adiecta reperitur, omnes interrogationem praebere.

3) ‚mentiaris' cum codd. Umpfenbach; cf. Engelbrecht l. l. p. 84 de forma breviore ‚mentiare'.

‚Malo' sic usurpatur:

Heaut. 928. Immo abeat potius malo quovis gentium...

Adelph. 782. An tibi iam mavis cerebrum dispergam hic?

Addendi sunt ex comicorum frgm. hi loci:

Nov. 97. Puriter volo facias: (cf. quae sequuntur: [puro] igni atque aqua volo hunc accipier.)

Sext. Turp. 26. Nam si iceris me posthac, credas mihi velim.

Pomp. Bon. 53. Ita velim facias.

Afran. 308. Vellem intervenissem ante.

„ 203. Nolo hic te videat:

Licin. Imbr. Neaer. Nolo ego Neaeram te vocent...

Non minus a scriptoribus, qui dicuntur, classicis verba ‚volo, nolo, malo' et inprimis formas ‚velim, nolim, malim, vellem, nollem, mallem' cum coniunctivo soluto coniunctas esse, quis est qui nesciat? Apud Horatium quidem hi tres loci exstant:

ep. II, 2, 57. Quid faciam vis?

sat. I, 5, 51 sqq. Nunc mihi paucis
Sarmenti scurrae pugnam Messique Cicirri,
Musa, velim memores . . . .

sat. I, 3, 41 sq. Vellem in amicitia sic erraremus et isti
Errore nomen virtus posuisset honestum.

Ex Plauto Holtze (II, 161) aliquot exempla attulit, in quibus coniunctio ‚ut' ex verbo ‚volo' dependet. Adiciendi sunt ex comicorum fragmentis hi duo loci:

Sext. Turp. 68. Sed volo ut familia nostra officia fungatur sua.

Afran. 323. Non amatorem, olim defensorem uti perdam volet.

Apud Terentium nullus exstat locus, quo coniunctio ‚ut' cum verbo volo (nolo, malo) coniuncta sit, sed omnibus aliis locis, ubi non coniunctivus solutus occurrit, infinitivi struc-

tura invenitur. Unde perspicuum esse videtur, non coniunctionem ,ut' omissam neque subaudiendam esse ad coniunctivum solute positum, sed Terentium omnino non coniunctione ,ut' enuntiatum secundarium cum verbo ,volo' conexisse atque consulto priscam illam structuram paratacticam usurpasse, quam sermo cotidianus certe servaverat eius temporibus. Posterioribus autem aetatibus cum coniunctivi soluti usus, etsi rarior factus, tamen in nonnullis verbis, quorum est ,volo', adhiberi non desitus esset, grammatici[1]), quomodo ille explicandus esset, non iam intellexerunt atque satis habuerunt dicere coniunctionem esse omissam.

Admodum raro alia verba voluntatis a Terentio cum coniunctivo soluto ponuntur. ,Moneo' occurrit adiecto pronomine:

Hec. 766 sq. Verum hoc te moneo unum, amicus qualis sim aut quid possiem
Potius quam inimicus, periclum facias.

(Enuntiatum secundarium, — interrogationem obliquam ex verbo sequente dependentem — interiectum est hoc loco inter verbum ,mones' et coniunctivum solutum ,facias'[2]). ,Adhortor' invenitur:

Eun. 583. Adhortor properent.

Non ad paratacticam formam pertinere puto hunc locum:

Adelph. 489 sq. Illaec fidem nunc nostram implorat, Demea:
Quod vos ius cogit, id voluntate impetret.

Sic scribendum et interpungendum esse cum Dziatzkone[3]) statuimus. Nam nulla ratione inter se continentur verba ,implorat' et ,impetret', sed Hegio, qui verba allata loquitur, enuntiat, illam, i. e. Pamphilam, Demeae fidem explorare, simulque addit hanc suam optationem ,id voluntate impetret'.

---

1) cf. Priscian. XVIII. 10, 89.

2) cf. Beckeri sententiam, quam attulimus in adn. pag. 38.

3) cf. eius adn. crit. ad hunc locum in ed. Teubn.

Monere non omittimus eorum verborum, quae huc pertinent, aut imperativum aut personam primam numeri singularis cum coniunctivo soluto coniungi exceptis formis ‚vis, voltis, mavis‘, quae interrogationibus adiciuntur.

Ex Horati sermonibus ut afferamus restat unum locum, quo imperativus ‚cura‘ cum coniunctivo soluto coniunctus est:

sat. II, 6, 38. Inprimat his, cura, Maecenas signa tabellis.

Denique memorandum est, imperativum ‚age‘ ut alteri imperativo ita coniunctivo soluto vocis exhortativae loco adici apud Terentium, qui usus omnino non abhorret ab usitato auctorum, qui dicuntur, classicorum genere dicendi.

Postremo eos locos ponere instituimus, quibus verbum ‚caveo‘ coniunctivo soluto adiectum est. Qui usus quin et ipse ad parataxin spectat, dubium non esse putamus. Vocis sono[1]) enim iam satis expressum esse nobis videtur, quid valeat coniunctivus cum verbo ‚caveo‘ solute coniunctus, quem ad vim coniunctivi qui dicitur dubitativi vel deliberativi accedere arbitramur. Sed solus imperativus ‚cave‘ hunc usum praebet atque eum fere loco particulae prohibitivae ‚ne‘ esse putaveris.

Andr. 403. Cave te esse tristem sentiat,
„ 760. Mane: cave quoquam ex istoc excessis loco!
Heaut. 187. Cave faxis.
„ 826. Cave quicquam admiratus sis . . .
„ 1031. Et cave posthac, si me amas, umquam istuc verbum ex te audiam.
„ 1032. At ego, si me metuis, mores cave in te esse istos sentiam.
Phorm. 764. Sed per deos atque homines meam esse hanc cave resciscat quisquam.
„ 993. Cave isti quicquam creduas.

---

1) cf. Jolly, Die einf. Form d. Hypot. p. 228 et 234.

Adelph. 170. Cave nunciam oculos a meis oculis quoquam demoveas tuos . .

" 458. Cave dixeris [1]).

Eodem modo imperativus ‚cave‘ positus est in Naev. frgm. 47. Cave verbum faxis!

Caec. St. 116. Decolles cave.

Hor. sat. II 3, 38 sq. Cave faxis | Te quicquam indignum.

Hor. sat. II 5, 75. Cave te roget.

Particula ‚ne‘ coniunctivo adiecta est, qui sequitur imperativum ‚cave‘:

Eun. 751. At enim cave, ne prius quum hanc a me accipias amittas, Chremes.

Num hoc loco coniunctio ‚ne‘ exstet, ut ea enuntiatum alterum imperativo ‚cave‘ subiunctum sit, discernere non audemus. At certe structuram subiunctivam invenimus in

Andr. v. 444 sq. Cavit [2]), ne umquam infamiae
Ea res sibi esset, ut virum fortem decet.

Cui loco conferas velim:

Andr. 400. Puerum autem ne resciscat mi esse ex illa cautiost.

Adelph. 421. Ei mihi ne corrumpantur cautiost.

Ut coniunctivi soluti usum totum exsequamur, referre oportet, uno loco Terentiano verbum ‚licet‘ cum coniunctivo, qui dicitur, concessivo coniungi:

Phorm. 347. Si eam sustinueris, postilla iam, ut lubet, ludas licet.

In comicorum fragmentis saepius hic usus occurrit:

Naev. 127. Ea licet senile tractet detritum rutabulum?

---

1) cf. Dziatzko ad h. l. ‚Cave mit dem Konj. Praes. oder Perf. (ohne ‚ne‘) ist in der Umgangssprache eine der gewöhnlichsten Umschreibungen des negativen Imperativs‘.

2) Praeter imperativi ‚cave‘ formam nulla alia nisi ‚cavit‘ huius verbi exstat in fabulis Terentianis.

Titin. 27. Nec noctu nec diu licet fullonibus quiescant.

Nov. 115. Nihil addo: ducas licet.

Posterioribus linguae latinae aetatibus verbum ‚licet' ad notionem particulae concessivae pervenisse satis constat [1]).

Priscis autem temporibus coniunctivus ille solutus ex paratactica structura ortus est, ut exempla allata testantur.

Apud Horatium haec exempla reperiuntur:

sat. I. 2, 81. Sit licet hoc, Cerinthe, tuum [2])! —

ep. I. 16, 76. Nempe pecus, rem, | Lectos, argentum: tollas licet.

ep. I. 17, 58 sqq. Nec semel inrisus triviis attollere curat
Fracto crure planum, licet illi plurima manet
Lacrima, per sanctum iuratus dicat Osirim . . .

(Clarissime apparet hoc loco ‚licet' iam ad particulae notionem pervenisse.)

Formae ‚licet' loco futurum ‚licebit' positum est (fortasse metri causa [3])) ab Horatio in

sat. II. 2, 59 sqq. — Licebit
Ille repotia, natales aliosve dierum
Festos albatus celebret —

Praeter verba hucusque allata a Terentio nullum aliud cum coniunctivo soluto coniunctum est. Ex Horati sermonibus est afferendum ‚necesse est':

sat. I. 3, 111. Jura inventa metu iniusti fateare necessest, . . .

et ‚oportet' in ep. I. 2, 49. Valeat possessor oportet.

---

1) cf. Kühner II, 960 adn. 1.

2) Sic Dillenburgerum secutus scripsit Krüger, qui adnotat: ‚Licet' wie Carm. III, 27, 13 parenthetisch, ohne Einfluss auf den Coniunctiv.

3) cf. p. 27 s. v. censeo.

II.

Ea parataxis genera, quae priore huius commentationis parte enarravimus, verbis quibusdam effici vidimus, quae enuntiata substantiva habere solent. Sermonis autem non minus comici quam cotidiani proprium esse constat, alia quoque enuntiata, quae severioribus loquendi legibus subiungi solent, partim ratione, qua continentur, omnino neglecta, partim coniunctionibus adiunctivis adhibitis paratactice ponere. Sed difficillimum esse plurimis in locis fatemur, ex sententiarum nexu hodie cognoscere, quid scriptor ipse in animo habuerit et certe definire, num duo enuntiata, quae paratactice iuxta se ponuntur, ita cohaereant, ut alterum alteri, si vim eorum consideraveris, subiungendum sit. Itaque maxime cavendum est, ne nimis parataxis investigandae studio adducti etiam ea exempla huc pertinere suspicemur, ubi suo iure duo enuntiata primaria coniunctionibus, quae ad coordinationem spectant, inter se continentur [1]). Tamen nonnunquam ea quoque exempla afferre non alienum erit, in quibus duo enuntiata primaria per se quidem posita sint, sed alterum alteri facile coniunctione aliqua subiungi possit; neque enim dubium est, quin ex hoc quoque usu cognoscere liceat, Terentium saepe simplicem sermonis cotidiani rationem in sententiis conectendis sequi maluisse quam severiores syntaxis leges, quas posteriores scriptores sibi statuere solebant. Sane quidem Kühnero concedendum est, plerumque discerni non posse, utrum poeta consulto paratactica structura usus sit an illa ex litterarum genere, quo sermonem cotidianum imitari cogebatur, effluxerit; sed hoc nullius momenti esse mihi videtur in Terenti sermone illustrando.

Quo facilius locis Plautinis a Weissenhornio congestis loci Terentiani comparari possint, eodem ordine servato pri-

1) cf. Kühner II, 756 sq.

mum acturus sum de eis enuntiatis, quae causali ratione continentur, finalia dico et consecutiva et causalia.

Parataxin finalem tum accidere monemus, cum duo enuntiata primaria, quorum unum cum altero finali ratione continetur, aut asyndeti forma aut particularum usu conectuntur. Atque asyndeton finale plerumque occurrere Weissenhorn (p. 13) affirmdl, si verba, quae movendi notionem habent, antecedant. Idem[1]) ea exempla primo loco refert, quae imperativos ‚i, ite' cum aliis imperativis coniunctos ostendunt. Compluribus eius modi locis allatis hos imperativos ait non tam motionis quam cohortationis vim habere, ut quodam modo cognati sint cum imperativis pro interiectione positis ‚age, agite'. Apud Terentium unum locum invenimus, ubi imperativus ‚i' alteri imperativo coniungitur:

Hec. 787. I, expte animum eis, coge ut credant[2]).

Atqui hoc ipso loco imperativus ‚i' non solum cohortationis vim habet, sed propria motionis vi dicitur, cum Laches Bacchidi interroganti, num . . . intro eat, respondens verbis allatis id repetat, quod antea (v. 754) Bacchidem facere iusserat: ‚Eas ad mulieres huc intro atque istuc ius iurandum item polliceare illis. Exple animum eis teque hoc crimine expedi'. Ceteris quoque locis, quibus imperativus ‚i' occurrit, certissima eius vis movendi elucet[3]).

Pro simplici forma ‚i' Terentius compositam ‚abi' cum altero imperativo coniunxit. Exempla eius modi haec exstant:

Andr. 523. Immo abi intro: ibi me opperire et quod parato opus est para.

---

1) Dissertationem secutus, quam scripsit Ballas, Gramm. Plaut. I. (Greifswalde 1867) p. 14 ‚de particulis copulativis'.

2) ‚Atque' (post imp. ‚i') quod Dziatzko uncis seclusit, solus Brix (De Ter. em. p. 9) sustentavit.

3) cf. Andr. 171. Heaut. 737, 831. Eun. 908. Phorm. 368. Hec. 358. Adelph. 168, 176, 587, 854.

Andr. 978 sq. Tu, Dave, abi domum, | Propera, accerse hinc qui auferant eam.

Heaut. 804. Abi, ecfer argentum.

Eun. 499, Abi prae, cura ut sint domi | Parata.

„ 538. Abi, Dorias, cito hunc deduce ad militem.

„ 753. Abi tu, cistellam, Pythias, domo ecfer cum monumentis.

Phorm. 309. Abi, Phaedria, eum require atque huc adduce.

„ 445. Abi, vise redieritne iam an non dum domum.

„ 712. Abi, dic esse argentum Phaedriae.

„ 777. Tu, Geta, abi prae, nuntia hanc venturam.

„ 994. Abi, tange: si non totus friget, me enica.

Hec. 557 sq. Abi, solus solum conveni,
Roga, velitne an non uxorem.

„ 726. Immo vero abi, aliquam puero nutricem para.

Adelph. 703 sq. Abi, pater: | Tu potius deos comprecare.

Formae ‚abi' vim motionis esse inprimis ex illis locis apparet, quibus additum est, quo quis abire iubeatur. Sed nonnullis locis (velut in Phorm. v. 994, ubi vere abire eum, qui appellatur, minime necesse est) imperativum ‚abi' propria vi neglecta quasi cohortativae cuiusdam particulae loco[1]) similiter atque apud Plautum imperativum ‚i' positum esse neminem fugiet.

Apud Horatium imperativus ‚i' duobus locis alterum imperativum antecedit:

1) cf. Spengel ad Adelph. v. 703: ‚abi . . . comprecare' wie im Deutschen ‚geh' dem Imperativ vorausgeschickt.

ep. I, 6, 17 sq. I nunc, argentum et marmor vetus aeraque et artes
Suspice, cum gemmis Tyrios mirare colores.

ep. I, 7, 71. Nunc i, rem strenuus auge.

Forma composita ‚abi' usurpatur:

ep. I, 7, 53. Abi, quaere et refer . . .

(Et simplicem formam ‚i' et compositam ‚abi' his locis Horatianis notionem movendi prae se ferre consentaneum est).

Etiam imperativus ‚curre' aqud Terentium cum altero per asyndeton coniunctus est:

Hec. 719 sq. Eho puere, curre ad Bacchidem hanc[1])
Vicinam nostram: huc evoca verbis meis.

Adelph. 354. Curre, obstetricem accerse.

(Denique huc pertinere videtur:

Phorm. 765. Sequere me: intus cetera audietis[2])).

Sed fatemur nobis non esse persuasum locis hucusque allatis parataxin finalem esse statuendam. Propius ad structuram paratacticam accedere Weissenhorn affirmat ea enuntiata, quibus anteponatur futurum ‚ibo'. Ut Plautus ita Terentius futuro ‚ibo' alterum futurum coniunxit et per asyndeti formam et intercedente particula copulativa ‚atque (ac)'.

Asyndeton invenitur his locis:

Andr. 594. Domum modo ibo, ut adparetur dicam, atque huc renuntio.

---

1) Sic Dziatzko; Engelbrecht, l. l. p. 17 scr.: ‚facili transpositione ‚curre, puer' cum Bentleio et cod. F loco laboranti succurri potest.

2) Hanc versus codicibus falso traditi emendationem iam a Weisio et Wagnero in textum receptam Dziatzko adnotatione critica ad h. l. sententiae magis sufficere docuit, quam illud ‚audiemus', quod Bentleius eumque secutus Umpfenbach scripserunt. Fleckeisen ut codicum lectionem ‚audies' servaret, scribendum proposuit ‚Sequere me: intus audies quae restant', quam coniecturam a codicum scriptura necessario longius recedere Dziatzkoni assentimur.

Heaut. 170. Ibo, visam si domist.
„ 340. Ibo obviam huic, dicam ut revortatur domum.
„ 426. Ibo, adloquar.
„ 500. Ibo, [ac] dicam, ut dixeram[1]) . . .
„ 608. Ad Menedemum ibo: dicam hanc esse captam ex Caria . . .

Eun. 187. Rus ibo: ibi hoc me macerabo biduom.

(Alterum futurum ‚macerabo' vocabulo ‚ibi' artius cum antecedente ‚rus ibo' conectitur).

Adelph. 719. Ibo, illis dicam nullam esse in nobis moram.

Idem fere quod futurum ibo' valent verba ‚conveniam, concedam'.

Andr. 527 sq. Nunc Chremem | Conveniam, orabo gnato uxorem.

Phorm. 891 sq. Sed hinc concedam in angiportum hoc proxumum,
Inde hisce ostendam me . . . .

Verbi eundi notionem accipit, si sensum spectaveris, verbi substantivi forma ‚ero' in

Eun. v. 781. Ego ero post principia: inde omnibus signum dabo.

(Duobus postremo allatis locis vocabulo ‚inde' alterum enuntiatum cum priore coniungitur).

Futuri loco positum est tempus praesens:

Adelph. 549. Nunc redeo: si forte frater redierit viso.

Particulae copulativae intercedunt:

Andr. 599. Ibo ad eum atque eadem haec, tibi quae dixi, dicam itidem illi.

Eun. 216. Ego rus ibo atque ibi manebo.

---

1) Particulam ‚ac' codicibus traditam et a Dziatzkone receptam delendam esse plurimi editores consentiunt. cf. Wagner ad Heaut. 170.

Eun. 461. Adibo atque adsimulabo quasi nunc exeam.

„ 557. Adibo atque ab eo gratiam hanc, quam video velle, inibo.

„ 922. Post exibo atque hunc perterrebo sacrilegum.

Phorm. 312 sq. Inde ibo ad forum atque aliquod mihi
Amicos advocabo . . . .

„ 782. Nunc hinc domum ibo ac Phanium edocebo . . .

Hec. 565. Ibo intro atque edicam servis . . . .

Adelph. 510. Ibo ac requiram fratrem . . .

„ 590. Nam iam adibo atque unum quicquid...
Carpam et cyathos sorbilans paulatim hunc producam diem.

Addimus his locis Terentianis Caec. Stat. frgm. 184.
Ibo ad forum et pauperii tutelam geram.

Praeterea idem coniungendi usus exstat in aliis verborum movendi formis:

Andr. 639. Adeamne ad eum et cum eo iniuriam hanc expostulem?

Adelph. 785 sq. Nisi, dum haec silescunt turbae, interea in angulum
Aliquo abeam atque edormiscam hoc villi:

Hec. 754 sq. Eas ad mulieres huc intro atque istuc iusiurandum item
Polliceare illis.

Adelph. 598. Sed quaeso ut una mecum ad matrem virginis eas, Micio,
Atque istaec eadem quae mihi dixti tute dicas mulieri.

Eun. 206. Concedam hinc intro atque exspectabo.

Sed in his quoque exemplis tantum abest, ut parataxin finalem occurrere statuamus, ut Draegeri sententiae assentiri non dubitemus, quam (§. 311, 19 p. 30[2]) his verbis refert: ‚Will man aber so überall supponiren, was möglicher Weise statt des copulativen Satzes gedacht werden kann, so kommt man dahin zu glauben, dass durch ‚et‘ auch wohl ein finales ‚ut‘ vertreten werden dürfe .... Es würde offenbar zu weit führen, auf dergleichen Erklärungen, an welche die Schriftsteller nicht gedacht haben, näher einzugehen‘. Weissenhorn ipse eius modi exempla iure Draegerum reiecisse sibi videri affirmat; sed hanc structuram prorsus e rebus scaenicis et cotidiano sermone petitam esse dicit. Nos quidem nihil esse putamus, cur hoc statuendum sit, immo contendimus ne urbano quidem sermone illud genus dicendi alienum fuisse.

Duos imperativos per asyndeton poni a scriptoribus latinis Draeger (§. 311, 17) affirmat[1]; sed ab hac lege poetas comicos interdum recedere adicit et ex Plauti fabulis illa supra laudata dissertatione, quam Ballas scripsit, usus complures locos huc pertinentes congessit.

In Terenti fabulis idem occurrit atque eundi quidem verbi imperativus cum altero imperativo particula copulativa coniunctus est his locis:

Andr. 255. Abi cito ac suspende te.
Andr. 992 (alt. ex. 11). Abi[2]) atque age homini gratias.
Heaut. 618. Abi nunciam intro, atque illa si iam laverit, mihi nuntia.
Eun. 763. Tu abi atque obsera ostium intus.

---

1) cf. Weissenborn ad Liv. I, 16, 11: ‚Die Imperative, hier in der gewöhnlichen, nicht der in Gesetzen gebräuchlichen Form . . . werden asyndetisch zusammengestellt . . .‘

2) Non esse mihi videtur, quod cum Fleck. et Dziatzk. a codd. scriptura recedamus et ‚adi‘ pro ‚abi‘ legamus. Nam ‚abeo‘ non aliter saepius usurpari quam simplex ‚eo‘ iam supra vidimus.

Phorm. 563 sqq. Verum abi domum
Et illam miseram, quam ego nunc intus scio esse exanimatam metu,
Consolare.
„ 921 sq. Sed transi sodes ad forum atque illud mihi
Argentum rursum iube rescribi, Phormio.
Hec. 314. Abi, Parmeno, intro ac me venisse nuntia.
Adelph. 167. Abi prae strenue ac fores aperi.
„ 351. Abi atque Hegioni cognato eius rem enarrato omnem ordine.
„ 699. Abi domum ac deos conprecare . . .
„ 917. Tu illas abi ct traduce [1]).

Imperativus simplex ‚i' positus est eodem modo:
Hec. 611. J ergo intro et compone . . . .

‚Curre' invenitur:
Hec. 359. Tu pueris curre, Parmeno, obviam atque eis onera adiuta.

Apud Horatium eius modi exempla occurrunt haec:
sat. I, 10, 92. I, puer, atque meo citus haec subscribe libello.
ep. II, 2, 76. I nunc et versus tecum meditare canoros.

Vidimus igitur apud Terentium non minus quam apud Plautum duos imperativos, quorum unus, qui antecedit, eundi notionem habet, particulis copulativis esse coniunctos [2]) neque hunc usum abhorrere ab Horatio.

1) cf. Dziatzko ad h. l. qui ‚abi et' — quod inter verbum ‚traduce' et eius obiectum ‚illas' intercedit — minoris esse momenti animadvertit.

2) Addimus idem occurrere etiam in aliis imperativis iungendis: exceptis iis locis, quibus imperativus ‚age' alteri imperativo particulae quasi exhortativae loco adicitur, viginti septem inveniuntur in Terenti fabulis, ubi duo imperativi sine particula iuxta se ponuntur;

Coniunctivus exhortativus alterius imperativi loco sequitur:

Adelph. 854. I ergo intro et quoi rei est, ei rei hunc sumamus diem.

Sed Terentium coniunctionis finalis usum non repudiasse monere oportet. Ut conferantur exemplis allatis eos locos ponamus, quibus coniunctio ‚ut' enuntiatum secundarium verbo movendi annectit. Facile intellegimus in exemplis huius modi proprie efferre voluisse poetam rationem finalem. Imperativum verbi movendi coniunctio ‚ut' sequitur:

Andr. 731. Move ocius te, ut quid agam porro intellegas.

„ 818. Duc me ad eam, quando huc veni, ut videam.

Eun. 624 sq. ‚Heus' inquit ‚puere, Pamphilam
Accerse, ut delectet hic nos'.[1])

Adelph. 354. Curre, obstetricem accerse, ut quom opus sit ne in mora nobis siet.

Alius generis esse hos locos atque illos supra allatos, ubi imperativo verbi movendi alter imperativus et per asyndeton et per particulam copulativam adicitur, perspicuum est. Mirum est nullum exstare locum, quo coniunctio ‚ut' pendeat ex imperativo ‚i' aut eius formis compositis. Futuro ‚ibo' enuntiatum secundarium coniunctione ‚ut' conexum est:

---

duodeviginti autem locis particula copulativa intercedit. Ternos imperativos novies sine particula positos invenimus, plures imperativi per asyndeti formam iuxta se ponuntur Andr. 334. Adelph. 813. In frgm. com. duo imperativi nulla particula interiecta coniuncti sunt: Nov. 92, 88. Afran. 175/6.

1) Sic legitur in ed. Umpfenbach. et Dziatzk. Fleckeisen ‚voluit' quod exstat in v. 624 principio omisit et scripsit: ‚Heus' inquit ‚puer, arcesse Pamphilam, Ut delectet hic nos'. Bentleius proposuit: ‚puer i'. Engelbrecht hunc locum ita esse comparatum dicit (l. l. p. 17 sq.) ut graviore corruptela aperte sit affectus; sed Terentium ubique vocativum ‚puer' adhibuisse persuasum se habere affirmat.

Heaut. 211. Ego ibo hinc intro, ut videam vobis quid cenae siet.

Eun. 921. Ibo intro, de cognitione ut certum sciam.

Adelph. 277. Ego ad forum ibo, ut hunc absolvam.

„ 632. Ad illas ibo, ut purgem me.

Futurum ‚conveniam' coniunctio ‚ut' sequitur:

Adelph. 636. Ego Aeschinum conveniam, ut quo modo acta haec sint sciat.

Sensum si respicimus, huc pertinet etiam

Eun. v. 739. Credo equidem illum iam adfuturum esse, ut illam a me eripiat.

Nam adfuturum esse idem valere quod adventurum esse, cognoscitur ex verbis, quae sequuntur ‚sine veniat'.

Ex aliis verborum movendi formis coniunctio ‚ut' pendet:

Hec. 324. Cesso hinc ire intro, ut hoc quam primum, quidquid est, certo sciam?

Audr. 740 sq. Revortor, postquam quae opus fuere ad nuptias
Gnatae paravi, ut iubeam accersi.

Eun. 363 sq Ch. Quo nunc is? Pa. Domum,
Ut mancupia haec, ita uti iussit frater, ducam ad Thaidem.

„ 807 sq. Thais, ego eo ad Sophronam
Nutricem, ut eam adducam et signa ostendam haec.

Heaut. 1046. Exeo ergo ut pacem conciliem.

Phorm. 897 sq. Quantum potest, nunc conveniundust Phormio,
Prius quam dilapidat nostras triginta minas
Ut auferamus.

Adelph. 706. Ego eo intro, ut quae opus sunt parentur.

Andr. 355. Continua ad te properans percurro ad forum, ut dicam haec tibi.

Phorm. 592 sq. Venio ad hominem, ut dicerem ...

Adelph. 653. Is venit, ut secum avehat.
Andr. 81. Perduxere illuc, secum ut una esset . . .
„ 100 sq. Ultro ad me venit, unicam gnatam suam
Cum dote summa filio uxorem ut daret.
„ 514 sq. Missast ancilla ilico
Obstetricem accersitum ad eam et puerum ut adferret simul.
Eun. 539 sq. Heri aliquod adulescentuli coiimus in Piraeo,
In hunc diem ut de symbolis essemus.
Phorm. 881. Denique ego sum missus, te ut requirerem atque adducerem.

Verbum motionis supplendum est:

Andr. 226 sq. At ego hinc me ad forum [1]), ut
Conveniam Pamphilum . . . .

Sic codicibus traditur hic locus. Particulae ‚ut' monosyllabae in fine versus apud Terentium locum non esse cum alii affirmarunt tum Conradt in Hermae vol. X p. 106 sqq. demonstravit. Fleckeisen particulam ‚uti' in posteriore versu posuit, verba huius versus ‚de hac re' secludens, Dziatzko ‚ut' uncis inclusit, Spengel prorsus omisit. Equidem non audeo, quomodo huic versui depravato succurri possit discernere; sed addo tribus aliis locis movendi verbum mente supplendum esse: Andr. 361, 907. Eun. 844. Nec vero alterum enuntiatum his locis coniunctum est, unde colligi possit, quomodo ille Andriae versus restituendus sit. Tamen magis idoneam huic loco concisam illam orationem servi esse puto, quam cum aliis Spengel omissa particula ‚ut' exhiberi statuit.

Particula ‚ne' coniunctionis vice fungens verba movendi sequitur:

---

1) Spengel adn. ad h. l. verbum ‚dabo' supplendum esse censet collato Plaut. Curc. II, 3, 84 (= 363 ed. Fleck.).

Andr. 424. I nunciam intro, ne in mora, quom opus sit, sies.
„ 467. Sed sequere me intro, ne in mora illi sis.
Heaut. 510 sq. Concedo hinc domum,
Ne nos inter nos congruere illi sentiant.
Adelph. 712. Sed cesso ire intro, ne morae meis nuptiis egomet sim?

Etiam illo loco supra allato Andr. 227 coniunctio ‚ne‘ verbum ‚conveniam‘ sequitur:

‚Conveniam Pamphilum, ne de hac re pater inprudentem opprimat.

‚Ut ne‘ invenitur

Eun. 945. Itaque ut ne viderem, misera huc ecfugi foras.

Ne quid reliqui fecisse videamur, commemoremus, saepissime apud Terentium — viginti unum exempla invenimus — supinum alterius verbi cum verbo motionis coniunctum esse [1]). Postremo monemus, etiam infinitivum enuntiati finalis loco cum movendi verbis conexum esse [2]).

Praebent igitur verba, quae movendi habent notionem, varias apud Terentium structurae formas: recipiunt coniunctionem ‚ut‘, supinum, infinitivum et cum aliis verbis aut asyndeto aut particulis copulativis adiectis paratactice coniunguntur. Sed monendum est omnibus illis locis, ubi parataxis usus occurrit, verbo (aut asyndeto aut particularum nexu) sequenti idem esse subiectum atque verbo movendi, quod antecedit. Unus locus (Andr. 854) excipiendus esse videtur, sed hic quoque coniunctivi exhortativi forma ‚sumamus‘ is, qui appellatur, continetur. In his autem exemplis

---

1) In Andr. 515 propius consilium supino, remotius ‚ut‘ particula exprimitur.

2) De hoc infinitivo finali cf. P. Barth l. l. p. 13. Qui etiam ‚dare‘ movendi verbis adscribendum esse affirmat et Andr. 484 huc revocat: ‚Quod iussi ei dare bibere‘ . . .

rationem finalem, qua duo verba inter se cohaerere aliquis dixerit, tam exiguam esse consentaneum est, ut eodem fere iure coniunctiones copulativae usurpentur. Neque quemquam esse puto, qui neget, futuro ‚ibo' alterum futurum minus apte adici, quo quid facturus sim indicatur, quam enuntiatum finale, quo quem ad finem iturus sim, exprimatur. Ubi certe rationem finalem poeta ostendere voluit, alia structurae forma eum usum esse videmus. (Omnino non ad parataxin finalem revocari posse apparebit illos locos a Weissenhornio allatos, quibus imperativum (sequere) alterius verbi forma futuri sequitur, velut Bacch. 877. ‚Sequere, is promittet tibi', ubi ratio finalis nulla invenitur).

Unum locum ut afferamus restat, quo consulto fortasse Terentius ab usitato genere dicendi recessit:

Adelph. 86 sq. Nam illa quae antehac facta sunt
Omitto: modo quid dissignavit?

Ut verba ‚illa quae antehac facta sunt' magis efferantur, enuntiatum primarium ponitur, vulgaris illius locutionis vice ‚ut . . . omittam'. Conferas velim

Eun. 926. Nam ut mittam . . . .
Phorm. 168. Ut ne addam . . . .

Saepius quam in enuntiatis finalibus parataxis occurrit in eis enuntiatorum generibus, ubi causa non in homine agenti posita est, sed ipso sententiarum nexu continetur. Haud raro enim duo enuntiata, quae causali ratione inter se coniunguntur, paratactica structura ita conexa sunt, ut certis particulis aut pronominibus sententiarum nexus indicetur. Potest autem enuntiatum, quo causa continetur, et antecedere et sequi, ut illae particulae et pronomina mox priori mox posteriori enuntiato addantur. Si priori apposita sunt et ad ea, quae sequuntur, spectant, alterum enuntiatum

primarium enuntiati consecutivi vice fungitur, ut parataxis quaedam consecutiva efficiatur. Ubi autem illae voces, quae dicuntur, demonstrativae posteriori enuntiato adiectae ad ea, quae antecedunt, pertinent, hoc alterum enuntiatum primarium causam continet et enuntiati causalis loco adhibitum est. Minime igitur inter se differre consentaneum est parataxin consecutivam et causalem, neque quisquam mirabitur, una haec parataxis genera tractare nos statuisse. Sed iterum monendum esse puto, nobis persuasum esse nusquam de consilio a poeta enuntiati secundarii loco enuntiatum primarium positum esse, immo cum linguae cuiusvis ingenii tum sermonis, quem poeta comicus imitetur, cotidiani proprium esse enuntiata, quae ratione causali cohaerent, non subiungere alterum alteri, sed iuxta se paratactice ponere, praesertim cum difficillimum saepe videatur discernere, utrum eorum maioris sit momenti.

Primo loco Weissenhorn ex Plauto ea exempla attulit (p. 14), quae particula ‚ita' antecedente verae parataxis speciem prae se ferre ei videbantur. Eiusdem generis exempla haec in Terenti fabulis inveniuntur:

Eun. 97. Sed ita erat res, faciundum fuit.
Phorm. 172. Ita plerique omnes sumus ingenio: nostri nosmet paenitet.
Adelph. 143 sq. Nam itast homo:
Quom placo, advorsor sedulo et deterreo,
Tamen vix humane patitur [1]); . . .
„ 839 sq. Scilicet ita tempus fert: | Faciundumst.

(Non huc pertinet
Andr. 459 sq. Ita pol quidem res est, ut dixisti, Lesbia:
Fidelem haud ferme mulieri invenias virum.

---

1) Spengeli et Dziatzkonis in hoc loco explicando rationi assentiendum esse persuasum habemus.

Nam hoc loco particulae ‚ita' coniunctio ‚ut' respondet et eis, quae sequuntur, verba Lesbiae dudum dicta repetuntur, ut ad orationem rectam revocanda sint.)

Quae modo attulimus exempla si accuratius inspexeris, vix enuntiatum primarium ad quod particula ‚ita' antecedens spectat, enuntiati consecutivi sensum ostendere dixeris. Potius particula ‚ita' enuntiatum, ut ita dicam, explicativum indicari neque ullam rationem causalem in hoc sententiarum nexu exstare nobis persuasum est. Atque ex illis a Weissenhornio ex Plauto allatis locis discerni eos oportet, quibus ‚ita' ad adiectivum accedit. Haec tantum exempla enuntiatum vere consecutivum requirunt, cuius loco alterum enuntiatum primarium positum est; sed nullum eius modi exemplum apud Terentium aut Horatium exstare addimus. (A nostro sermone hunc usum non esse alienum neminem fugit)[1]).

Cum Adelph. v. 839 supra allato conferre libet Heaut. 667 ‚Nunc ita tempus fert, mi ut cupiam filiam'. His duobus locis comparatis intelleges, poëtam non dubitasse coniunctionem ‚ut' ponere, ubi sensum consecutivum significare vellet.

Idem quod de particula ‚ita' diximus, in ‚sic' particulam quadrat, quam fortiore demonstrandi vi praeditam esse constat. Priori enuntiato addita ad ea, quae sequuntur, spectat

Andr. 62. Sic vita erat: facile omnis perferre ac pati; . . . .

Nequaquam rationem consecutivam hoc loco exstare patet; verbis sequentibus, quae ‚sic' particula indicantur, vita adulescentis Pamphili, qualis fuerit, explicatur[2]). Minime igitur

1) cf. Uhland, Schwäbische Kunde: „Den Pferden war's so schwach im Magen, | Fast musst' der Reiter die Mähre tragen'. ‚Er trifft des Türken Pferd so gut: Er haut ihm ab mit Einem Streich | Die beiden Vorderfüss' zugleich'.

1) cf. Naegelsbach, Lat. Stil. §. 197, 1[7]: ‚So wird oft, indem das Vorhergehende in ‚sic' oder ‚ita' zusammengefasst erscheint, mit

hunc locum ad parataxin consecutivam revocare velim, neque magis illos duos a Weissenhornio ex Plauto allatos pertinere huc affirmandum est. In eis enim (Cas. 237 et Rud. 928) ‚sic‘ particula ad id spectat, quod is, qui loquitur, nunc facturum esse se exponit, postquam diu secum reputavit, quid faciendum esset [1]). Proxime accedunt huiusmodi exempla ad ea, in quibus ‚sic‘ orationi directae praemittitur, quem usum proprium esse huius particulae Braune (l. l. p. 9 sq.) docuit, ut iam supra (p. 25 sq.) memoravimus.

Similiter atque ‚ita‘ et ‚sic‘ particula ‚adeo‘ [2]) in locutione ‚adeo res redit‘ ad ea spectat, quae sequuntur:

Heaut. 113 sq. Postremo adeo res rediit: adulescentulus
Saepe eadem et graviter audiendo victus est.
Phorm. 55 sq. Adeo res redit:
Si quis quid reddit, magna habendast gratia.

In his exemplis rationem inesse consecutivam nemo est qui confirmet; immo posteriore enuntiato vocabulum ‚adeo‘ explicari patet.

Neque tamen alienam esse ab hoc usu coniunctionem ‚ut‘ intellegitur ex his locis:

Phorm. 153 sq. Adeon rem redisse, ut qui mi consultum optime velit esse,
Phaedria, patrem ut extimescam . . . .
Heaut. 980. Adeon rem rediisse, ut periclum etiam a fame mihi sit, Syre!

---

diesen Partikeln auf eine auszusprechende Wahrheit hingewiesen, welche sich darstellt als ein Resultat des Gesagten oder Geschehenen‘.

1) cf. quae Braune l. l. p. 14 de hoc particulae ‚sic‘ usu disseruit.

2) cf. Langen, l. l. p. 139 sq. ‚adeo = bis zu dem Puncte: entweder temporal oder qualitativ, nie aber bei Plautus local . . . qualitativ allein mit folgendem ‚ut‘.

Idem quod ‚adeo res redit' valet haec locutio: ‚in eum res redit locum':

Heaut. 359 sq. In eum iam res rediit locum,
Ut sit necessus [1]).

Huius loci similes sunt:

Phorm. 201 sq. Quod si eo meae fortunae redeunt,
Phanium, abs te ut distrahar,
Nullast mihi vita expetenda.
„ 979 sq. In id redactus sum loci,
Ut quid agam cum illo nesciam prorsum.
Adelph. 272 sq. Hoc mihi dolet, nos sero rescisse
et rem paene in eum locum
Redisse, ut si omnes cuperent tibi nil possent
auxiliarier.

Parataxis consecutiva inveniatur licet

Andr. 469. Adeone est demens? ex peregrina?

Supplendum enim est in hoc versu ad verba ‚ex peregrina' ex v. 464 ‚iussit tolli', ut altera interrogatio priorem sequatur enuntiati consecutivi loco, quod vocabulum ‚adeo' cum adiectivo ‚demens' coniunctum requirere videtur.

Cui loco conferre non alienum est:

Hor. sat. I 1, 13 sq. Cetera de genere hoc, adeo
sunt multa, loquacem
Delassare valent Fabium.

Interpungendi ratione verba ‚adeo sunt multa' parenthetice esse posita editores ostendunt. Cum anteposita enuntiatum consecutivum requirant, parataxin consecutivam exstare illo loco affirmaveris.

Monere non omittam, huc revocari non posse Adelph. 710 sq.:

Itaque adeo magnam mi inicit sua commoditate
curam,
Ne inprudens faciam forte quod nolit: sciens cavebo.

---

1) cf. Wagner ad h. l.: ‚in eum locum = adeo'.

Particulam ‚adeo' hoc loco vocabulo ‚itaque' (sicut aliis locis pronomini ‚is', unde ortum est ‚ita') appositam esse, ut huius vis intendatur, et Langen (p. 139 sq.) docuit et Braune (p. 24 sqq.) disseruit [1].

Multo rarius quam apud Plautum in Terenti fabulis pronomina demonstrativa ita ponuntur, ut parataxin non consecutivam sed explicativam efficiant. Exceptis iis locis, quibus pronomen ‚hoc' antecedens enuntiatum substantivum requirit, cuius loco enuntiatum primarium sequi supra (p. 48 sq.) demonstravimus, unum exemplum invenimus, ubi id, quod continetur antecedente pronomine demonstrativo, enuntiato, quod sequitur, primario exponitur:

Eun. 102 sq. Verum heus tu, hac lege tibi meam adstringo fidem:
Quae vera audivi, taceo et contineo optume . . .

Altero loco huius simillimo Terentius usus est coniunctione ‚ut':

Andr. 199 sq. Verberibus caesum te in pistrinum, Dave, dedam usque ad necem,
Ea lege atque omine, ut, si te inde exemerim, ego pro te molam.

Complures eiusmodi loci inveniuntur in com. frgm.:

Caec. St. 157. Haec erunt concilia hocedie: differar sermone misere.

Sext. Turp. 136. Consilium hoc cepi: litteras misi ad senem . . .

Pomp. Bon. 105 sq. Populis voluntas haec enim et vulgo datast:
Refragant primo, suffragabunt post, scio.

(Prope accedere haec exempla ad orationem directam, cui pronomina demonstrativa praemitti solent, nos minime fugit.)

Si duae sententiae ita conexae sunt, ut posteriore con-

---

1) cf. Spengel adn. ad h. l. ‚Itaque adeo' gleich ‚atque adeo ita = daher sogar'.

tineatur causa, qua id quod priore profertur, efficitur, hanc, qua cohaerent, rationem causalem aut coniunctiones subiunctivae (,quod, cum', aliae) aut adiunctivae (nam, namque, enim) indicare solent.

Sed exstant multi loci ut apud Plautum ita apud Terentium, quibus alio quodam modo sentantiarum nexus significatur. Saepissime particula ,ita' in initio enuntiati posterioris invenitur posita ea ratione, ut quae antea dicta sunt accuratius explicentur aut novi aliquid eis momenti addatur, quo fit, ut haud raro causalem paene notionem usurpet [1]). Terentiani loci, qui hunc usum particulae ,ita' ostendunt, hi sunt:

Andr. 172 sqq. Non dubiumst, quin uxorem nolit filius;
Ita Davom modo timere sensi, ubi nuptias
Futuras esse audivit.

„ 201 sq. Immo callide (sc. intellexi):
Ita aperte ipsam rem modo locutu's . . . .

„ 761. Di te eradicent! ita me miseram territas.

„ 937. Vix sum apud me: ita animus commotust metu . . .

Heaut. 308 sq. Prae gaudio, ita me die ament, ubi sim nescio:
Ita timui.

„ 668 sq. Nisi me animus fallit multum, haud multum a me aberit infortunium:
Ita hac re in angustum oppido nunc meae coguntur copiae.

„ 815. Vellem hèrcle factum, ita meritu's.

„ 978 sq. Vah, rogasse vellem . . . unde mi peterem cibum:
Ita nos alienavit.

---

1) De hac significatione particulae ita' Braune (p. 18) disseruit Langenium secutus, qui de hac re egit l. l. 231 sqq. Cf. etiam Naegelsbach, Lat. Stil.[7] §. 189, 2. Seyffert, Schol. Lat. II §. 56 sqq.

Eun. 508 sq. Ni mirum dabit haec Thais mihi magnum malum:
Ita me video ab ea astute labefactarier . . .
„ 672 sq. Paulum si cessassem, Pythias,
Domi non offendissem, ita iam adornarat fugam
„ 844 sqq. Ubi vidi, ego me in pedes quantum queo
In angiportum quoddam desertum, inde item
In aliud, inde in aliud: ita miserrumus
Fui fugitando, ne quis me cognosceret.
„ 1051 sq. Nil est Thaide hac, frater, tua
Dignius quod ametur: ita nostrae omnist fautrix familiae.

Phorm. 179 sq. Nullus es, Geta, nisi iam aliquod tibi consilium celere reperis:
Ita nunc inparatum subito tanta te inpendent mala.

„ 283 sq. . . . non potuit cogitata proloqui;
Ita eum tum timidum illic obstupefecit pudor.

„ 730 sq. Nam vereor, era ne ob meum suasum indigna iniuria adficiatur:
Ita patrem adulescentis facta haec tolerare audio violenter.

Hec. prol. 2 sqq. . . . novum intervenit vitium et calamitas,
Ut neque spectari neque cognosci potuerit:
Ita populus studio stupidus in funambulo
Animum occuparat.

„ prol. 29 sq. Hecyram ad vos refero, quam mihi per silentium
Nunquam agere licitumst: ita eam oppressit calamitas.

„ 277. Sed non facilest expurgatu: ita animum induxerunt . . . ,

Hec. 302. Tum uxori obnoxius sum: ita olim suo me ingenio pertulit; . . .

„ 421 sqq. Dies triginta aut plus eo in navi fui,
Quom interea semper mortem exspectabam miser;
Ita usque advorsa tempestate usi sumus.

„ 443. Non queo: ita defessus sum.

„ 517 sq. Nam audivisse vocem pueri visust vagientis:
Ita corripuit derepente tacitus sese ad filiam.

„ 814 sq. Nam hodie mihi potestas haud datast:
Ita cursando atque ambulando totum hunc contrivi diem.

Adelph. 310. Me miserum, vix sum compos animi, ita ardeo iracundia.

Accedunt ex com. frgm. haec exempla:

Naev. 39. Ultro meretur, quam ob rem ametur: ita dapsiliter suos amicos | Alit.

Caec. St. 33. Si properas, escende huc meam navem: ita celeris est.

Sext. Turp. 75 sq. Erus stupidus adstat: ita [enim] eius aspectus repens
Cor torporavit homini amore [1]).

„ Turp. 95/6 . . . . neque durare possum:
Ita huius inscientia ac dementia extorrem facit.

Perfacile in omnibus fere exemplis modo allatis enuntiatum alterum coniunctione causali ‚quod‘ vel ‚cum‘ subiungi posse intellexeris atque saepius ipsius particulae causalis loco ‚ita‘ esse positum dixeris [2]). Neque tamen parataxin, quae dicitur, causalem illis locis praeberi concedimus; enuntiatum enim alterum non enuntiati causalis loco a poeta paratactica

1) Particulam ‚enim‘, quam Ribbeck omissam esse putat, locis ceteris comparatis supervacaneam esse videmus.

2) cf. Spengel ad. Andr. 173. ‚Ita‘ häufig gleich einer Causalpartikel im Gebrauch der Komiker.

structura priori conexum est, sed enuntiatum primarium adiecta particula ,ita' suo iure positum esse videtur, ut causa, qua id quod antecedit efficitur, maiore vi excitetur. Maioris igitur momenti enuntiatum posterius esse in illis exemplis, quae memoravimus, statuere licet [1]).

Quem usum particulae ,ita' a scriptoribus latinis omnium aetatum minime esse alienum et ad epiphonematis quod dicitur, figuram rhetoricam a grammaticis revocari addimus.

Alius generis exemplum invenitur in

Eun. v. 187 sq. Rus ibo: ibi me macerabo biduom.
Ita facere certumst: mos gerundust Thaidi.

Hoc loco quodam modo uno vocabulo ,ita' repetitur atque comprehenditur id quod antea dictum est [2]). Braune (l. l. p. 14) animadvertit locutiones ,ita facere certumst' ,consilium ita facere' similes ubique esse, quae alter dixit, comprobantis atque adnotavit, hunc versum, ubi in sermone eiusdem exstet ,ita facere certumst', interpolatum esse cum aliis de causis apparere tum quod in codice Bembino desit. Dziatzko eum uncis inclusit Hoelzero et Braunio auctoribus, quibus ipse assentiri non dubito.

(,Ita' enventum, quem ea, quae narrantur, habuerint, notat in Hec. prol. 20 sq.

,Perfeci ut spectarentur: ubi sunt cognitae,
Placitae sunt. Ita poetam restitui in locum';

ubi ,ita' idem est quod ,hoc modo' [3]). Neque aliter particula ,sic' ponitur in Hec. v. 598

,Sic optume, ut ego opinor, omnis causas praecidam omnibus.)

Pro particula ,ita' — in epiphonematis, quod diximus, figura — uno loco ,sic' adhibitum se invenisse apud Plautum Weissenhorn (p. 16) animadvertit. Apud Terentium quoque

1) Addimus Hor. sat. II 8, 75 sq.

2) cf. Naegelsbach, Lat. Stil.[7] §. 197, 1.

3) cf. Braune p. 22.

particula ,sic' hunc usum prae se ferre videtur uno loco, si vulgatam lectionem sequimur.

Eun. 311 sq. Fac sis nunc promissa adpareant:
Sic adeo digna res est, ubi tu nervos intendas tuos.

Hanc Fleckeiseni coniecturam, quam etiam Umpfenbach in textum recepit, Langen probavit, cum particulam ,adeo' cum ,sic' coniungendam esse (ut in Adelph. 710 cum ,itaque') statueret. Braune (p. 36 sq.) concedit ,sic adeo' suo iure dici posse aeque atque ,inde adeo', ,itaque adeo'; tamen illam Fleckeiseni coniecturam non probat, quod satis persuasum non habeat, verba ,sic adeo' pro epiphonemate accipi posse, cum ,sic' nusquam hoc modo apud priscas scriptores positum inveniatur — excepto (illo a Weissenhornio allato) Pseud. v. 1129, ubi lectio incerta sit, cum codices aliam alius exhibeant lectionem. Neque ,sic' ita intellegi posse pergit, ut ad ea, quae sequuntur, spectet, cum enuntiata, in quibus ,sic' hac ratione adhibeatur, alius sint prorsus condicionis. Quare locum reconditiore aliqua corruptela laborare colligit; quod quidem eo probari sibi videri dicit, quod Donatus testis sit v. 312 in quibusdam codicibus non legi. Scribendum ipse Braune proponit: ,Haec adeo digna res est', sententiae quidem apte, ut ait Dziatzko in adn. crit. ad h. l. scripta. Tamen hic Brauni coniecturam non recepit, sed sic scribit ,Est adeo digna res[est]', cum ,est' propius ad codicum lectionem accedere exponat. Particulae ,sic' locum non esse nobis quoque persuasum est, sed quomodo versus restituendus sit, non audemus discernere.

Particula ,adeo' uno loco Terentiano enuntiato posteriori, quo causa prioris continetur, in epiphonemate adiectum est [1]):

1) Langen l. l. p. 139 commemorat Plautum particula ,adeo' non ita usum esse, ut ad ea, quae praecedunt, spectet; ut autem Handii sententiam refellat, qui (Turs. I, 150) hunc particulae usum eis demum scriptoribus, qui post Ciceronem fuerunt, tribuit, tres locos

Heaut. 245. Minume mirum (sc. illas esse relictas): adeo inpeditae sunt.

Similem usum particulae ,adeo' praebet Horatius:

ep. II. 1, 53 sq. Naevius in manibus non est et mentibus haeret
Paene recens? adeo sanctumst vetus omne poema.

Multo plures inveniuntur loci, quibus pronomina demonstrativa sententiae posteriori adiecta ad ea quae antecedunt, spectant et aliquid esse eiusmodi significant, ut id quod antea dictum est, fieri potuerit vel debuerit. Occurrunt hoc modo adhibita vocabula tantus, tot, is:

Heaut. 679 sq. Nulla mihi res posthac potest iam intervenire tanta,
Quae mi aegritudinem adferat: tanta haec laetitia obortast.

" 632 sqq. Id equidem ego, si tu neges, certo scio,
Te inscientem atque inprudentem dicere ac facere omnia:
Tot peccata in hac re ostendis.

Hec. 702 sq. Omnibus modis miser sum nec quid agam scio:
Tot me nunc rebus miserum concludit pater.

Adelph. 301 sq. Vae misero mihi!
Tot res repente circumvallant se, unde emergi non potest.

(Verba exclamantis sunt, quae exstant in v. 301, et idem valent, quod ,miser sum'; enuntiato autem, quod sequitur, causa cur exclamatio fiat, continetur.)

Adelph. 627. Id ipsum metuo ut credant. tot concurrunt veri similia.

Terentianos affert: Heaut. 242 sqq. Phorm. 1038 (1040 ed. Dz.) Hec. 499 et Naev. 35[1] (R.). Quos locos inter se valde differre cognoscas, si accuratius inspexeris.

Andr. 259 sq. Sed nunc quid primum exsequar?
Tot me inpediunt curae, quae meum animum divorsae trahunt.

(Interrogatio hoc loco coniunctivum dubitativum ostendit, ut nihil aliud ea valeat quam ‚quid . . . exsequar, nescio'; iis quae sequuntur, causa exponitur.)

Phorm. 628 sq. Heia, sudabis satis,
Si cum illo inceptas homine: ea eloquentiast.

Accedunt ex Horati sermonibus hi loci:

ep. II, 1, 202 sq. Garganum mugire putes nemus aut mare Tuscum,
Tanto cum strepituludi spectantur . . . .

ep. II, 3, 240 sqq. Ex noto fictum carmen sequar, ut sibi quivis
Speret idem, sudet multum frustraque laboret
Ausus idem: tantum series iuncturaque pollet,
Tantum de medio sumptis accedit honoris.

ep. II, 3, 385 sq. Tu nihil invita dices faciesve Minerva,
Id tibi iudiciumst, ea mens.

Illa vocabula, quae in epiphonemate poni vidimus, ab eo, qui loquitur, maiore cum vi efferenda esse consentaneum est atque ex eo inprimis apparet, quod ubique in initio enuntiati locum suum obtinent.

In exemplis huc usque allatis certis vocabulis sententiarum nexus ostenditur, neque causalem quandam rationem in eis inesse negaveris, sive illa vocabula ad ea spectant, quae sequuntur, ut eventum significent, sive ad ea, quae praecedunt, ut causam indicent. Difficillimum autem est nonnunquam discernere, qua ratione inter se cohaereant eae sententiae, quae nullo omnino vinculo inter se continentur. Si enuntiatum antecedens maiore cum vi efferendum est et enuntiato posteriore eventus eius significatur, asyndeton quod dicimus consecutivum nobis occurrere concedas. Huc revocari possunt hi loci:

Andr. 256. Obstipui . censem me verbum potuisse ullum proloqui?

Interrogatione ut ita dicam rhetorica, quae hoc loco exstat, cum nemo adsit, qui interrogetur vel appelletur, explicatur, quid evenerit ex eo, quod Pamphilius ‚obstupuit', ut eius loco enuntiatum consecutivum usurpari possit. Minime abhorrere manifestum est hoc genns dicendi a nostro sermone, quo aptissime illum locum sic vertimus: ‚Ich bin so erschrocken; glaubst du, ich hätte ein Wort hervorbringen können?'

Eun. 105. Plenus rimarum sum, hac atque illac perfluo.

Heaut. 451 sqq. Primum iam ancillas secum adduxit plus decem,
Oneratas veste atque auro: satrapa si siet
Amator, numquam sufferre eius sumptus queat.

Hec. 270 sq. Ego sum animo leni natus:
Non possum advorsari meis.

„ 710. Amarae mulieres sunt, non facile haec ferunt.

Sed eodem fere iure, quo dicimus in his exemplis posteriore enuntiato eventum indicari, priore causam contineri statuere licet. Nam tanta necessitas intercedit inter rationem causalem et consecutivam, ut enuntiatum consecutivum quod coniunctione ‚ut' subiungitur, facillime in enuntiatum primarium mutari possit, cui alterum enuntiatum praemittatur, quo causa continetur. Neque profecto negamus, nonnunquam vix certe definiri posse, num duo huius generis enuntiata, quae nullo vinculo adhibito iuxta se ponuntur, ita cohaereant, ut alterum alteri, si vim eorum consideraveris, severiore loquendi ratione subiungendum sit. Quare non parataxis formam hypotacticae structurae loco occurrere in exemplis supra allatis, sed merito duo enuntiata primaria paratactice inter se coniungi dixeris, cum eiusdem sint momenti neque subiungendi rationem requirant. Sed verba

quaedam certe sententiam causalem flagitare Weissenhorn persuasum habet atque huc pertinere voces ‚perii, odi, salvus, miser, stultus, iniurius sum‘ existimat. Eadem fere verba similiter posita inveniuntur in Terenti fabulis et ea quidem, enuntiatum, quo causa continetur, aut antecedunt aut subsequuntur:

Eun. 770. Perii, huic ipsist opus patrono, quem defensorem paro.
„ 977. Perii: lingua haeret metu.
Phorm. 386. Perii hercle, nomen perdidi.
Adelph. 227. Perii hercle: hac illi spe hoc inceperunt.
„ 637. Pater hercle est: perii.
„ 355 sq. Disperii! Ctesiphonem audivi filium
Una fuisse in raptione cum Aeschino.
Heaut. 659. Interii: plus spei video quam volo.
Adelph. 265 sq. Occidi: | Nil video.
Hec. 638. Sensit peperisse: occidi.
Heaut. 584. Actumst: hic prius se indicarit quam ego argentum effecero.
Eun. 834 sq. Era mea, tace tace obsecro, salvae sumus:
Habemus hominem ipsum.
„ 267 sq. Sed Parmenomen ante ostium huius stare[1]) tristem video.
Rivalis servom: salva res est.
Adelph. 643. Erubuit: salva res est.

Praeterea in eis verbis, quae sententiam causalem flagitare videntur, ‚laudo‘ numerandum esse puto:

---

1) Maxime probanda mihi videtur haec Hauleri coniectura (cf. l. l. p. 4 sq.) praesertim cum sic facillime explicari possit, quomodo scriptura ‚Thaidis‘ in codices irrepserit. Dziatzko legendum proponit ‚hoc astare‘; dubitat enim num Parmeno, qui v. 207 sqq. ex adulescentis domo exierat, tunc temporis ante Thaidis ipsius aedes steterit.

Eun. 154. Eu, noster, laudo: tandem perdoluit: vir es.

Adelph. 564. Laudo: Ctesipho, patrissas . . .

Idem fere valet verbum ‚amo‘:

Eun. 186. Merito te amo, bene facis.

Omnibus his locis, quos enumeravimus, fieri posse concedimus, ut eis verbis, quae sententiam causalem flagitare videntur, alterum enuntiatum primarium coniunctione causali subiungatur. Sed tamen nequaquam dicendum esse existimo, illis locis parataxin causalem nobis occurrere, quam in illis tantum exemplis exstare censemus, ubi structuram hypotacticam positam esse ex usitato genere dicendi exspectamus. Locutionem autem ‚perii‘ et huius similes non tanta cum vi efferendas esse, ut enuntiatum secundarium ex eis pendere commodum sit, ex eo elucere inprimis mihi videtur, quod ut apud Plautum ita in Terenti fabulis plurimi exstant loci, quibus illae voces nihil aliud significant quam exclamationem [1]). Hac significatione illae voces cum solute positae sunt ita, ut is, qui loquitur, auditis quibusdam verbis solas eas exclamat, tum interrogationibus et sententiis, quibus causa exclamandi continetur, adiciuntur, ut earum vis quasi augeatur [2]). Non alienum hunc usum illorum verborum fuisse a ceteris comicis intellegere licet ex compluribus eorum fragmentis (cf. Sext. Turp. 104. 179. Titin. 32. Afran. 65. 214. 393. Pomp. Bon. 67. Caec. Stat. 2).

Restat ut duos locos Terentianos afferam, quibus ‚perii‘ coniunctum est voci, quae idem fere valet, si sensum consideraveris:

---

1) ‚Perii‘ exclamantis est Andr. 346. 592. 607 al. ‚Occidi‘ Andr. 592. Phorm. 641 (cf. Heaut. 908, ubi ab altero interrogatio adicitur ‚Quam ob rem?‘) ‚Interii‘ Andr. 346. Disperii‘ Heaut. 970.

2) Formam ‚perii‘ etiam futuri loco pocitam esse cognoscitur ex Andr. v. 213. Si senserit, perii . .

Heaut. 564. Acta haec res est: perii.

Adelph. 324 sq. Periimus: | Actumst [1]).

Ex his inprimis locis postremo allatis intellegimus non tanti momenti esse has voces, ut enuntiato causali eas explicari exspectes. Immo enuntiatum alterum, quo causa continetur, qua talem vocem exclamare aliquis cogitur, maiorem vim habere consentaneum est [2]).

Postremo ea afferamus exempla, in quibus etsi non certa voce enuntiatorum nexus indicatur, tamen sensum causalem inesse patet. Atque ita comparata sunt ea exempla, ut enuntiatorum nullo vinculo iunctorum mox prius mox posterius causam exprimat. Enuntiato antecedente causam contineri dixeris, ut coniunctione ‚cum' subiungi possit sequenti sententiae, his locis:

Andr. 670. Hac non successit, alia adgrediemur via.
Eun. 121. Utrumque hoc falsumst: ecfluet.
(cf. v. 104. Sin falsum aut vanum aut finctumst, continuo palamst)
Eun. 476. Tacent: satis laudant.
„ 1091. Bene fecisti: gratiam habeo maxumam
(cf. Adelph. 596. Id quia non est a me factum, agis gratias?)
Heaut. 77. Homo sum: humani nil a me alienum puto.

(Ex verbis, quae his antecedunt, clarissime intellegitur, hoc loco maioris momenti esse enuntiatum posterius, cui prius mente subiungendum sit. Nam Menedemo interroganti his verbis: ‚Chremes, tantumne ab re tuast oti tibi, aliena ut cures . . .?' Chremes respondet, humani nil a se alienum se putare, addita atque praemissa causa, quae enuntiato primario exprimitur, ut magis efferatur.)

1) cf. quae disseruimus de hoc loco supra p. 34 sq. Nostro sermone vertendum est: ‚Ich bin verloren: es ist aus (es ist um mich geschehen).

2) Similiter veram, ut ita dicam, exclamationem sequitur enuntiatum primarium, cuius loco enuntiatum causale possitum esse nemo exspectabit: cf. Eun. 197. Adelph. 301.

Phorm. 673. Mea causa eicitur: me hoc est aequom amittere.

Hec. 229. Sola hic fuisti: in te omnis haeret culpa sola, Sostrata.

Posteriore enuntiato causa continetur:

Andr. 819. Sequar hos: me nolo in tempore hoc videat senex.

Heaut. 247. Non oportuit relictas: portant quid rerum!

Eun. 859 sq. Vix me contineo quin involem
Monstro in capillum: etiam ultro derisum advenit.

Phorm. 457 sq. Ego amplius deliberandum censeo:
Res magnast.

„ 851. Familiariorem oportet esse hunc: minitatur malum.

In eligendis his exemplis plurimum diligentiae adhiberi oportet, ne alia proferantur nisi quae rationem causalem aperte ostendunt. Atque hanc sententiarum inter se iungendarum rationem, qua Terentium aeque ac Plautum usum esse videmus, ad parataxin pertinere nemo erit, qui neget. Tamen addere non praetermitto, nequaquam mihi persuasum esse in exemplis allatis structuram paratacticam pro hypotactica de consilio positam esse a poeta neque subiungendi rationem in eis exspectari Plerumque enim distingui omnino non posse fatemur, utrum enuntiatum maioris sit momenti, ut primarium habeatur. Quare in illis exemplis, quae asyndeton praebent, consecutivum vel causale, particulas ‚ergo, igitur, nam‘, similes eodem iure supplere licet, quo alterum enuntiatum alteri subiungendum esse iudices. Ubi autem duo enuntiata, quorum neutrum minorem habet vim, particula sive adiecta sive omissa iuxta se ponuntur, in his exemplis paratacticam hypotacticae structurae loco usurpatam esse minime concedimus. Illud tantum ex crebritate eorum locorum, quibus cohaerendi ratio in sententiis iungen-

dis plane neglecta est, colligere licet, sermonis facilitatem atque vigorem efficere studuisse Terentium. Atque eandem dicendi rationem apud omnes omnium aetatum scriptores latinos occurrere, praeterire mihi licebit.

Priusquam huius partis commentationis finem faciamus, restat ut afferamus:

Andr. 110 sqq. Hic parvae consuetudinis
Causa huius mortem tam fert familiariter:
Quid si ipse amasset? quid hic mihi faciet patri?

Prope accedit hic locus ad ea exempla, quae ad argumentationem ex contrario pertinere iudicantur. Quam a Cicerone saepissime usurpatam ad parataxin revocandam esse Kühnero auctore[1]) affirmamus. Enuntiatorum enim alterum, quod antecedit, alteri mente subiungendum est.

Quodsi exempla parataxis consecutivae et causalis a Weissenhornio ex Plauti fabulis collecta eis locis comparabimus, quos nos attulimus, intellegemus, Terenti usum etiam in hoc genere dicendi simillimum esse illius poëtae sermoni. Ut apud Plautum itidem apud Terentium particula ‚ita' et enuntiato antecedenti adicitur, ut ea, quae sequuntur, indicet, et in epiphonematis quod dicitur figura enuntiato posteriori praemittitur, ut particulae causalis loco fungi videatur. Eodem modo apud Terentium particula ‚adeo' posita est, ex Plauto nullus huius modi locus affertur[2]). ‚Sic' ad enuntiatum sequens spectare et apud Plautum et apud Terentium videmus, in epiphonemate apud Terentium non occurrit, illum unum ex Plauto allatum locum (Pseud. 1129) Braune cum aliis proscripsit. Similiter ‚hic' pronomen enuntiato priori additur, nusquam autem in epiphonemate ponitur. Pronomina ‚is' et ‚tantus' non inveniri apud Terentium ita posita, ut enuntiato altero primario explicentur, casui tribuendum esse

---

1) Kühner II 762 cf. p. 741. cf. etiam Draeger §. 354, 3, b. et Seyffert, Schol. Lat. I §. 57.

2) cf. Langen, l. l. p. 139 sqq.

puto neque minus forte accidisse, ut a Plauto ‚tot' in epiphonemate non poneretur.

In eis exemplis, quae asyndeton consecutivum et causale praebent, nihil differre Terentium a Plauto non mirum est, quod illum quoque sermonem eorum hominum, quos loquentes facit, imitari studuisse patet, cuius proprium esse iam memoravimus rationem, qua inter se cohaereant sententiae, neglegere. Quo addendum est, laxius hoc dicendi genus neque a posteriorum latinorum scriptorum elocutione abhorrere neque a nostrae linguae usu alienum esse.

Ex fragmentis comicorum exempla asyndeti causalis et consecutivi afferre omisimus, quod mancis illis et dissipatis locis difficillimum est, eorum enuntiatorum nexum discernere, quae nullo vinculo inter se continentur.

Transeamus nunc ad eas parataxis formas, quae occurrunt in sententiis ratione condicionali, concessiva, temporali inter se conexis. Atque primum quidem de enuntiatis condicionalibus agamus[1]). ‚Cum hypotacticae constructionis — Hermanni verbis utor — hoc proprium sit, ut protasis, quae condicionem continet, per particulam condicionalem cum apodosi iungatur, haud raro usu venit, ut sententia aliqua, quae alteri pro condicione esse videatur, nullo tamen cum hac vinculo cohaereat, sed prorsus absolute vel praemittatur vel adeo mediae orationi interponatur, eoque facto protasin quidem sensus prodat, signa tamen protasis syntactica omnino desiderentur'. Atque mirum esse non posse Hermann (p. 10) affirmavit, recentioris Graecorum comoediae imitatorem Terentium hoc quoque structurae genus ab illis in patrium

1) cf. C. Fr. Hermann, Disputatio de protasi paratactica. Ind. schol. Goetting. sem. aest. 1850 et Kühner II. 760 sq.

sermonem transtulisse satisque lepide atque eleganter identidem usurpasse. Sed tamen monet, ne quis ideo putet, quicquid ex hoc parataxis genere apud Latinos inveniatur, a latini sermonis ingenio alienum Graecis demum praeeuntibus in Italiam pervenisse, idemque docet plurimis exemplis, cum ad antiquissimos linguae auctores redeant, non Graecis magis quam ipsis Italis hanc structurae formam ingenitam et domesticam fuisse comprobari. Haec protasis, quae dicitur, paratactica quas formas accipere possit, a Dragero (§. 373) et Kühnero (l. l.) ennaratum est.

Ut Plautus ita Terentius enuntiati condicionalis loco imperativum posuit, quem sequitur enuntiatum alterum forma futuri indutum [1]).

Andr. 536. Ausculto paucis: [et] quid ego te velim
et tu quod quaeris scies.

Monemus hunc locum omisso ,et', quod Spengelium secutus Dziatzko inclusit, congruere cum Plaut. Capt. v. 338. a Weissenhornio allato: ,Ausculta, scies'. (cf. Asin. 350).

Altero eiusdem generis loco imperativus postponitur:

Phorm. 995 sq. Jam scies: | Ausculta.

His addendus est Adelph. v. 123 (iam a Draegero allatus):

,Postremo aut desine aut cedo quemvis arbitum:
Te plura in hac re peccare ostendam'.

Duobus locis Terentianis ut saepius apud Plautum particula ,iam' enuntiato posteriori adicitur, quem usum interdum etiam apud classicos scriptores ineniri Draeger animadvertit:

Andr. 622. Sed sine paululum ad me redeam: iam
aliquid dispiciam.

Eun. 85. Accede ad ignem hunc, iam calesces plus
satis.

(Hoc alterum exemplum eodem fere iure ad parataxin temporalem pertinere concedo, quo ad condicionalem revocamus.)

Eiusdem generis exempla inveniuntur apud Horatium:

1) cf. Naegelsbach, Lat. Stil.(7) §. 200, 3.

sat. II, 1, 53 sqq. Scaevae vivacem crede nepoti
Matrem: nil faciet sceleris pia dextra . . . .;
Sed mala tollet anum vitiato melle cicuta.
„ II, 7, 73 sq. Tolle periclum;
Jam vaga prosiliet frenis natura remotis.
ep. I, 4, 11 sqq. Inter spem curamque, timores inter et iras
Omnem crede diem tibi diluxisse supremum:
Grata superveniet, quae non sperabitur hora.

Nonnunquam apud Terentium itidem ut apud Plautum enuntiato interrogativo condicio contineri videtur. Velut in Spengeli editione legimus sic Adelph. v. 117 sqq.:

Obsonat, potat, olet unguenta? de meo;
Amat? dabitur ame argentum, dum erit commodum.
Fores ecfregit? restituentur; discidit
Vestem? resarcietur . . .

Ceteri editores (Umpfenbach, Fleckeisen, Dziatzko) et Draeger, qui hunc locum attulit, interrogationi locum non esse indicant, cum sic scribant:

Obsonat, potat, olet unguenta: de meo;
Amat: dabitur a me argentum . . . . .

Videmus igitur hodie quoque ea valere, quae iam C. Fr. Hermann (l. l. p. 15) dixit, de ambigua illa quaestione, num in protasi paratactica etiam interrogationi locus sit, eruditos disceptare inque diversas partes abire. Atque Hermann ipse — inprimis Eun. v. 252 nisus — demonstravit, protasin paratacticam per se spectatam interrogatione non indigere, adiecitque vel germanici sermonis inversionem quamvis proxime ad interrogationis speciem accedat, tantum abesse, ut ideo pro interrogatione habeatur, ut non exiguo discrimine hoc loquendi genus: ‚Willst du mir folgen, so gehe mit‘! distet ab illo: ‚Willst du mir folgen? Nun so gehe mit‘! Illo Adelph. loco supra allato veram, ut ita dicam, interrogatio-

nem contineri, nemo erit, qui cogitet. Neque Spengelium interrogationem voluisse statuere intellegimus ex eius adnotatione ad Adelph. v. 881 data, ubi verbum ‚deerit‘ quod interrogationis signo ornavit, simili modo atque interrogationem pronuntiandum enuntiati condicionalis loco esse dicit [1]. Interrogationem igitur vel potius interrogationis signa, quae nulla apud veteres neque Graecos neque Latinos fuisse constat, ea mente arcessita esse ab editoribus consentaneum est, ut ostendatur, quo sono vocis efferenda sint ea enuntiata primaria, quae enuntiati condicionalis loco ponuntur. Tamen interrogationi nullum locum esse in protasi paratactica statuere recusamus, immo C. Fr. Hermanno assentimur, qui interrogationis usum in protasi paratactica non quidem ab ipsa structurae vi et natura, sed a singulorum locorum colore oratorio repetitum esse demonstrat [2]. (p. 17). Quare plurimis in locis nihil referre censeo, utrum interrogationem statuamus necne. Hoc tantum concedere non dubitamus, modo certo vocis sono sententiam, quae enuntiati condicionalis loco occurrit, a Latinis pronuntiatam esse, modo interrogationem maiore cum vi elatam esse, atque monemus, minime in hac re nostrum sermonem ab usu scriptorum latinorum recedere [3].

Ponamus igitur ea primum exempla, quae editorum recentiorum consensu interrogationem non admittunt:

Eun. 252. Negat quis: nego; ait: aio . . .

1) Das Wort wird mit Achselzucken, einer Frage ähnlich, gesprochen und vertritt die Stelle eines Bedingungssatzes cf. Adelph. 117 sq.

2) Quod Weissenhornium fugisse videtur, qui (p. 19) attulit, viros doctos, in iis Hermannum, interrogationem adhiberi posse negavisse et eos refutari arbitratur uno ex Plauto sumpto loco, Mil. 663, ubi particula ‚ne‘ interrogatio significatur.

3) cf. Das Riesenspielzeug von Chamisso: ‚Du fragest nach den Riesen, du findest sie nicht mehr‘. Enuntiatum prius interrogandi ratione pronuntiandum esse, sed non veram interrogationem continere, manifestum est.

(Ut verborum vis cognoscatur, versum antecedentem contemplari necesse est:

Quidquid dicunt, laudo; id rursum si negant, laudo id quoque.)

Heaut. 487. Dare denegaris: ibit ad illud ilico . . .

Phorm. 265. Unum cognoris, omnis noris.

(Sic hunc versum praebent ceteri codices praeter Bembinum, in quo ‚Unum cum noris' scriptum est. Hanc lectionem Bentleius, Andr. prol. v. 10 nisus, recepit, quem Dziatzko secutus est, etsi in adn. erit. concedit, alteram scripturam ‚unum cognoris' bene defendi a Thomasio apte collato Heaut. v. 487. Mihi quidem paratactica structura concisae Demeae orationi magis convenire videtur; itaque hoc loco a codice Bembino iure recedi et lectionem ceterorum Donati quoque auctoritate traditam recipiendam esse censeo).

Andr. 238 sq. Uxorem decrerat dare sese mi hodie: nonne oportuit
Praescisse me ante?

Heaut. 78 sq. Vel me monere hoc vel percontari puta:
Rectumst, ego ut faciam, non est, te ut deterream [1]).

(Holtze, II, 102 in exemplis his usum indicativi qui dicitur hypothetici exstare animadvertit.)

Praeter illos duos locos, quos supra memoravimus (Adelph. v. 117 et 881), ubi Spengel solus interrogationis signum posuit, complures inveniuntur, quibus etiam ab aliis editoribus interrogatio statuitur in eis enuntiatis, quae protasin paratacticam praebent:

Andr. 367. ‚Opinor' narras? non recte accipis . .

Eun. 245. Quid? tu his rebus credis fieri? tota erras via

---

1) cf. Wagneri adn. ad h. l. ‚Rectumst = si rectum est; non est = si non est'.

(cf. Heaut. 105. Erras, si id credis . . .).

Andr. 898. Vis me uxorem ducere? hanc vis mittere? ut potero feram.

Phorm. 186. Loquarne? incendam; taceam? instigem; purgem me? laterem lavem.

Hanc codicum omnium lectionem revocavit Conradt [1]), quem Dziatzko secutus est. Umpfenbach et Fleckeisen cum Bentleio scribunt: ‚Loquar? incendam: taceam? instigem: . . . .‘ Videmus igitur etiam apud Terentium uno loco particulam interrogativam ‚ne‘ positam esse, unde certe cognoscere licet, interrogationem in protasi paratactica ne hunc quidem poetam repudiavisse. Atque coniunctivum qui vocatur dubitativum interrogationis proprium esse ex praeceptis grammaticorum satis notum est.

Denique ad protasin paratacticam revocandus est, si Dziatzkonis editionem, qui Madvigii coniecturam recepit, sequimur, hic locus:

Adelph. 828 sqq. . . Seiris liberum
Ingenium atque animum: quo vis illos tu die
Redducas.

In scriptura vulgata a Lachmanno proposita ‚scires‘ usum imperfecti offendere apertum est; lectionem codicum (excepto Bembino, qui habet ‚scire et‘) ‚scire est‘, quam Spengel servare studuit, propter insolitum verbi substantivi ‚est‘ usum proscribendam esse nuper (P. Barth (l. l. p. 61) demonstravit.

Postremo hic exemplum afferre restat quod quo revocandum sit, dubitari potest:

Andr. 48 sqq. Rem omnem a principio audies:
Eo pacto et gnati vitam et consilium meum
Cognosces et quid facere in hac re te velim.

1) Car. Conradt, Die metrische Compos. der Com. d. Ter. (Berlin 1876) pag. 45 et 127.

Futurum ‚audies' imperativi loco hic positum esse et sententiam condicionalem continere dicas similiter atque imperativum ‚ausculta' in Andr. v. 536, ut verbis demonstrativis ‚eo pacto' vim enuntiati antecedentis efferri statuendum sit. Sed sententiam condicionalem in hoc exemplo inesse negari potest; nam eodem iure affirmare licet, enuntiato posteriore explicari, cur rem omnem a principio Simo narraturus sit.

Pronomen ‚id' ad enuntiatum antecedens sententiae condicionalis loco positum spectat etiam in illo Adelph. v. 881, quem supra memoravimus: ‚Deerit: id mea minume re fert, qui sum natu maxumus'. (Conferas velim huic loco Eun. 251: ‚Id rursum si negant, laudo id quoque', ubi alterum ‚id' ad sententiam condicionalem ‚si negant' pertinet.)

Monemus protasin paratacticam inveniri etiam in comicorum fragmentis. Interrogatione, si codicum lectionem cum Ribbeckio sequimur, condicionem contineri videmus hoc loco:

T. Qu. Att. 1. Daturin[1]) estis aurum? exultat planipes.

Alter locus, qui huc pertinet, ad ea exempla Terentiana accedere mihi videtur, quae interrogationem quidem non admittunt, sed certo vocis sono similiter atque interrogationes pronuntiari oportet:

Caec. Stat. 5 . . actutum, voltis, empta est: noltis, non empta est . . .

Praeter locos supra allatos, ubi imperativus enuntiati condicionalis loco positus est, apud Horatium protasis paratactica occurrit in his exemplis:

sat. I, 3, 84. Paullum deliquit amicus, —
Quod nisi concedas, habeare insuavis —: acerbus
Odisti et fugis ut Rusonem debitor aeris . . .
„ II, 5, 74. Scribet mala carmina vecors:
Laudato . Scortator erit: cave te roget . . . .

1) Hermanni coniecturam „daturi si estis aurum" omnino supervacaneam esse censemus.

ep. I, 1, 33 sqq. Fervet avaritia miseroque cupidine pectus:
Sunt verba et voces, quibus hunc lenire dolorem
Possis . . . . . .

„ I, 1, 87 sq. Lectus genialis in aulast:
Nil ait esse prius, melius nil caelibe vita.

(cf. v. 89. Si non est, iurat bene solis esse maritis.)

ep. I, 6, 29 sqq. Vis recte vivere (quis non?):
Si virtus hoc una potest dare, fortis omissis
Hoc age deliciis. Virtutem verba putas et
Lucum ligna: cave ne portus occupet alter . . .

„ II, 3, 329. Redit uncia, quid fit?
(cf. v. 327 sq. Si de quincunce remotast | Uncia, quid superat?)

In nullo horum locorum ex Horatio allatorum interrogationem esse statuendam, nemo negabit.

Coniunctivus, qui dicitur, potentialis in protasi paratactica ab Horatio usurpatur compluribus locis, in Terenti fabulis non invenitur:

ep. I, 16, 54. Sit spes fallendi, miscebis sacra profanis.

sat. II, 3, 292 sq. Casus medicusve levarit
Aegrum ex praecipiti: mater delira necabit
In gelida fixum ripa . . . .

„ II, 6, 39. Dixeris ‚experiar': ‚si vis, potes' addit et instat.

„ II, 7, 32 sqq. Jusserit ad se
Maecenas serum sub lumina prima venire
Convivam: ‚nemon oleum fert ocius? ecquis
Audit? cum magno blateras clamore fugisque.

„ I, 3, 15 sqq. Deciens centena dedisses
Huic parco, paucis contento: quinque diebus
Nil erat in loculis.

ep. II, 3, 439 sqq. Melius te posse negares
Bis terque expertum frustra, delere iubebat
Et male tornatos incudi reddere versus.

Porro ad parataxin condicionalem revocanda esse censemus ea exempla, ubi particulam ‚modo' coniunctivo verbi adiectam reperimus:

Heaut. 981. Modo liceat vivere, est spes . . . nos esurituros satis.

Eun. 889 sq. Ah volet, certo scio,
Civis modo haec sit.

Satis quidem constat particulam ‚modo' coniunctionis condicionalis vim habere, sed hanc ipsam ex parataxis usu ortam esse nobis persuasimus. Atque hoc probari videtur inprimis iis locis, quibus illa vox imperativis enuntiati condicionalis loco positis additur:

Eun. 308 sq. ‚Chaerea, aliquid inveni
Modo quod ames: in ea re utilitatem ego faciam ut cognoscas meam.

Andr. 684 sq. Jam ubi ubi erit, inventum tibi curabo et mecum adductum
Tuom Pamphilum: modo tu, anime mi, noli te macerare.

Ut his duobus locis ‚modo' imperativis particulae quasi exhortativae loco adiectum est, ita optativo — cuius vice fungitur coniunctivus — additur locis supra allatis. Aliis autem locis, ubi structura hypotactica, quae iamdudum Terenti aetate evalescere coeperat, adhibita est, particula modo enuntiatis condicionalibus inseritur coniunctionibus adiecta, velut:

Adelph. 202. Age iam cupio, si modo argentum reddat.

„ 205. Id quoque possum ferre, modo si reddat . . .

Eun. 320. Mea nil re fert, dum potiar modo.

Heaut. 465 sq. Sumat consumat perdat, decretumst pati,
Dum illum modo habeam mecum.

Heaut. 641. Quidvis satis est, dum vivat modo.

Adelph. 313. Satis mihi id habeam supplici, dum illos ulciscar modo [1]).

Phorm. 59. Scies, | Modo ut tacere possis.

Ex hoc usu ‚modo' particulae eum demum profectum esse existimamus, ut absolute coniunctionis loco poneretur.

Apud Horatium ‚tantum modo' coniunctivo verbi apponitur, ut idem valere videatur, quod particula ‚dummodo':

sat. I, 9, 54 sq. Velis tantum modo: quae tua virtus,
Expugnabis; . . . .

Postremo ea exempla afferamus, ubi enuntiato, in quo sensus condicionalis inest, vocabulum ‚absque' [2]) additum est:

Phorm. 188 sq. Nam, absque eo esset,
Recte ego mihi vidissem et senis essem ultus iracundiam.

Hec. 601. Quam fortunatus ceteris sum rebus, absque una hac foret.

In his duobus exemplis particulae condicionalis loco posita videtur praepositio ‚absque'; sed eam coniunctionem non esse ex eius notione elucet. Paratacticam igitur structuram haec exempla praebere suo iure Holtze (II, 155) et Draeger (§. 373, 2) retulerunt. Atque addendum est, hunc parataxis usum nisi apud Plautum Terentiumque non inveniri.

Ab enuntiatis condicionalibus minime differre enuntiata concessiva nemo ignorat. Parataxis igitur formae, quae in sententiis concessiva ratione cohaerentibus occurrunt, illarum similes sunt, quas supra in enuntiatis condicionalibus invenimus. Imperativus enuntiati concessivi loco positus est:

---

1) Hunc versum, cum metro ac sonui repugnet, cum Guyeto proscribendum esse Dziatzko affirmat; Spengel eum defendit; vulgo inde a Bothio ‚meo' ante ‚modo' additur.

2) De hac praepositione cf. Holtze I, 344; Kühner, II, 372. Jordan, Krit. Beitr. z. Geschichte der lat. Sprache (Berlin 1879) p. 308 sqq.

Heaut. 1012. Loquere: nilo minus ego hoc faciam tamen.

(Hoc loco ratio cencessiva manifeste exprimitur particula ‚tamen‘.)

Phorm. 668 sq. Sescentas proinde scribito iam mihi dicas:
Nil do[1]).

„ 561. Audacissume oneris quidvis inpone, ecferet.

Eun. 1057. Quodvis donum praemium a me optato: id optatum auferes.

Similis est hic locus Horatianus:

sat. I, 4, 25 sq. Quemvis media elige turba,
Aut ob avaritiam aut misera ambitione laborat.

(Sed fatemur eodem iure his locis enuntiatum primarium alterum enuntiati relativi loco esse positum aliquem contendere).

Utrum rationem concessivam an condicionalem statuamus, dubitamus[2]) in

Hor. sat. II, 3, 69 sqq. Scribe decem a Nerio: non est satis; adde Cicutae
Nodosi tabulas centum, mille adde catenas:
Effugiet tamen haec sceleratus vincula Proteus.

Sed propius ad parataxin concessivam accedere hunc locum, particula ‚tamen‘ significatur.

Imperativi loco occurrit coniunctivus qui dicitur concessivus[3]):

Phorm. 1029. Redeat sane in gratiam iam: supplici satis est mihi.

---

1) cf. Holtze II, 135 sq. Loch, Zum Gebrauch d. Imperativus bei Plautus. (Progr. Memel 1871) p. 12 sq.

2) cf. Krüger ad h. l. ‚der Imperativ hypothetisch zu fassen oder concessiv'.

3) cf. Kühner, II, 143.

Saepius hic coniunctivus invenitur in Horati sermonibus enuntiati secundarii loco:

sat. I, 1, 45 sq. Milia frumenti tua triverit area centum:
Non tuus hoc capiet venter plus ac meus . . .
„ II, 2, 126 sq. Saeviat atque novos moveat Fortuna tumultus:
Quantum hinc imminuet? . . .
„ II, 3, 57 sqq. Clamet amica
Mater, honesta soror cum cognatis, pater, uxor:
Hic fossa est ingens, hic rupes maxima: serva!'
Non magis audierit . . . .
ep. I, 1, 28. Non possis oculo quantum contendere Lynceus,
Non tamen idcirco contemnas lippus inungui [1].

Ad parataxin concessivam revocandum esse puto etiam Andr. v. 204, (qui simillimus est Eun. v. 245, quem supra (p. 95) memoravimus): ‚Inrides? nil me fallis'.

Ambiguum esse videtur, num interrogatio hic sit statuenda. Spengel (in adn. ad h. l.) duobus locis Plautinis collatis interrogationi locum esse affirmat, cum interrogationis signo omisso verbum ‚inrides' significare possit: ‚dein schmeichelndes Wesen ist nur Spott', quod sensui non convenire apertum est. Sed equidem censeo, non magis hic quam in illis exemplis, quae parataxin condicionalem ostendere videmus (cf. pag. 93 sqq.), verae interrogationi esse locum, immo verbum ‚inrides' certo vocis sono similiter atque interrogationem pronuntiandum esse. Signum autem interrogationis hic quoque ideo arcessendum esse persuasum habeo, ut qua ratione enuntiatum efferatur, significetur. Nostrum sermonem ad hoc genus dicendi proxime accedere

1) Coniunctivus concessivus exstat etiam aliis locis, velut sat. I, 2, 123, I, 10, 64; sed non pariter his locis apparet ratio concessiva, qua sententiae cohaerent.

ex vertendi ratione (‚du lachst? du täuschest mich nicht' sive ‚du machst mich nicht irre in meiner Meinung über dich') intellegi potest.

Idem quod de Andr. v. 204 diximus, in Andr. v. 679 quadrare potest, ubi idem Spengel interrogationem statuit, quae enuntiati concessivi loco sit posita: ‚Parum succedit quod ago? at facio sedulo'. Ceteri editores interrogationem reiciunt, cum scribant: ‚Parum succedit quod ago: (;) at facio sedulo'.

Sensus concessivus praeterea his locis inest in enuntiato antecedente:

Heaut. 201 sq. Fortasse aliquantum iniquior erat praeter eius lubidinem:
Pateretur . . .

Eun. 426. Lepus tute es, pulpamentum quaeris?

Sic legitur in codice Bembino, quem Umpfenbach et Dziatzko sequuntur; ceteri codices recentiores habent: ‚Lepus tute es et pulpamentum quaeris', unde Bentleius et hoc auctore Fleckeisen, cum haec lectio metro repugnet, scripserunt: ‚et pulmentum quaeris'. Hunc versum Livi Andronici dictum esse Vopiscus tradidit, ex quo quamquam codices ‚et' omisisse adnotat, Ribbeck eum in Liv. frgm. 8 posuit numeris trochaicis: ‚Lepus tute es et pulpamentum quaeris'. Particulam ‚et' eodem sensu apud Terentium atque ‚et tamen' (cf. Andr. 59 Plaut. Mil. 761) adhibitam esse [1]) verisimile non videtur; magis igitur asyndeton, ut ita dicam, concessivum statuendum esse hoc loco existimo.

Cuius loci haud dissimilis est:

Heaut. 65 sq. Servos compluris: proinde quasi nemo siet,
Ita attente tute illorum officia fungere.

(Ex forma ‚habet', quae exstat in versu proxime antecedente, cum Wagnero subintellegendum esse verbum ‚habes' Dziatzko

1) cf. Draeger §. 311, 10. Ballas l. l. p. 9—11.

adnotat, cui assentiri non dubito. Neque causam invenire possum, cur Umpfenbach a codicum lectione recedens Guyetum secutus scripserit ‚servi complures'.)

Ad asyndeton concessivum Spengel revocavit

Andr. 729 sq.: Intellego:

Nova nunc religio in te istaec incessit.

Nam alterum enuntiatum priori ‚intellego' coniunctione ‚quamquam' vel ‚sed' coniungi posse affirmat. Rectius autem hac sententia explicari mihi videtur, quam ob rem Davus non faciat, quod Mysin facere iubet, ut verbenis sumptis et substratis puerum ante ianuam adponat[1]).

Multo crebriores ii sunt loci, quibus particulae, quae dicuntur, adversativae enuntiatis ratione concessiva cohaerentibus intercedant. Sed iterum iterumque monemus in eius modi exemplis saepe vix discerni posse, utrum enuntiatum maioris sit momenti, ut alterum ei subiungendum sit ex severioribus syntaxis legibus. Tantum igitur abest, ut paratacticam structuram illis locis hypotacticae loco usurpatam esse statuamus, ut saepissime duo enuntiata primaria suo iure coniunctionibus, quae ad coordinationem spectant, inter se contineri concedamus. Sed tamen exempla huius generis afferre libet, ut collatis eis cum locis a Weissenhornio ex Plauto congestis hanc quoque Terenti rationem sententiarum inter se iungendarum non differre ab usu Plautino.

Andr. 229 sqq. Sane pol illa temulentast mulier et temeraria

Nec satis digna, quoi committas primo partu mulierem.

Tamen eam adducam?

(Hoc loco ratio, qua cohaerent enuntiata, concessiva insuper vocabulo ‚sane' significatur.)

---

1) Ad verbum ‚intellego' subaudiendum esse puto ‚quam ob rem id tute non facias', et nosto sermone vertamus ‚Ah, ich verstehe (sc. dein Gebahren): Eine ganz neue Frömmigkeit wandelt dich auf einmal an'.

Adelph. 188 sq. Leno sum, pernicies communis, fateor, adulescentium,
Periurus, pestis; tamen tibi a me nulla ortast iniuria.

Ex Horati sermonibus huc pertinet:

sat. I, 3, 127 sq. Sapiens crepidas sibi numquam
Nec soleas fecit, sutor tamen est sapiens.

(Conferas velim, quae sequuntur:

‚Ut, quamvis tacet Hermogenes, cantor tamen atque
Optimus est modulator')

Eun. 665 sq. At pol ego amatores audieram mulierum esse eos maxumos,
Sed nil potesse; verum miserae non in mentem venerat.

Adelph. 174. Non innueram; verum in istam partem potius peccato tamen.

Particula ‚sed' non hoc modo posita est apud Terentium neque pronomina ‚idem, is' vi adversativa praedita aeque atque apud Plautum occurrunt.

‚Neque' particulae adversativae vim amplecti apertum est hoc loco:

Eun. 618 sq. Ille continuo irasci,
Neque negare audere . . .

(Cum hoc loco conferre non alienum est

Andr. 93 sqq. Nam qui cum ingeniis conflictatur eius modi
Neque commovetur animus in ea re tamen,
Scias posse habere iam ipsum suae vitae modum.

Coniungitur hoc loco ‚neque' cum ‚tamen', cuius particulae vis insuper effertur vocibus ‚in ea re'.)

Denique ad hoc parataxis genus spectat

Andr. v. 633. Et timent et tamen res premit denegare,

quem a Klettio [1]) proscriptum et Fleckeisen et Dziatzko deletum volunt. (Spengel et Conradt [2]) hunc versum suspiciosum ita restituere conantur: ‚Et timent denegare et tamen res premit'.)

Exstant praeterea exempla, ubi enuntiatum, quo sententia concessiva continetur, enuntiationem alteram sequitur coniunctione ‚neque' coniunctum, quae idem quod ‚neque tamen' valet:

Eun. 243. Omnia habeo, neque quicquam habeo.

Ex verbis, quae continuantur: ‚nil quom est, nil defit tamen, intelleges summam sententiae positam esse in enuntiato priore ‚omnia habeo' et alterum enuntiatum facile subiungi posse sic: ‚quamquam nihil habeo'. (Vernacula lingua eandem dicendi rationem sequitur, cum aptissime vertamus: ‚Ich habe alles und habe doch (eigentlich) gar nichts'.)

Eodem modo explicandus est et

Eun. v. 248 sq. Est genus hominum, qui esse primos se omnium rerum volunt,
Nec sunt [3]).

et Andr. v. 137 sq. Redeo inde iratus atque aegre ferens;
Nec satis ad obiurgandum causae [4]).

Corrigendum igitur est id, quod Draeger (§. 318, 7) affirmavit: ‚Neque statt einer adversativen Verbindung zuerst bei Cic. de or. II, 68 etc.

Apud Horatium quoque enuntiatum, quo sententia concessiva continetur, particulis ‚et .. tamen' conexum sequitur.

sat. I, 10, 7 sq. Ergo non satis est risu diducere rictum

---

1) cf. Klette, Exercit. Terent. Diss. inaug. Bonn. 1855 p. 11 sq.

2) Conradt, Dic metr. Comp. d. Com. d. Ter. Berlin 1876 p. 189.

3) Qui locus vertendus est sic: ‚welche die ersten sein wollen und es doch nicht sind' = ‚ohne es zu sein'.

4) cf. Spengel ad h. l.: ‚Nec = neque tamen'.

Auditoris; et est quaedam tamen hic quoque virtus.

Omnino non ad parataxis usum ea exempla revocanda esse nobis videntur, ubi asyndeton adversativum occurrit pro coniunctione ‚cum' quae dicitur adversativa. Nam in iis enuntiata ila non momento differre consentaneum est, ut neutrum eorum alteri suo iure subiungi possit. Itaque eiusmodi exempla ne apud classicos quidem scriptores hypotacticam structuram accipere solebant, nisi coniunctio ‚cum' usurpata est.

Enuntiata temporalia nunnunquam adeo non distingui posse ab énuntiatis condicionalibus inter omnes constat, ut eodem fete iure coniunctionem ‚si' ponas, ubi ‚cum', ‚cum', ubi ‚si' intercedit. Quare nonnulla exempla, quae supra ad parataxin condicionalem revocavimus, fortasse hic aeque ponere licet, velut Eun. v. 85, quem locum, utrum condicionali an temporali ratione contineri iudices nihil refert.

Saepius parataxis usum nobis occurrere in iis exemplis, ubi ‚cum' quod dicimus inversum adhiberi solebat, et Draeger (§. 370 et §. 311, 16) et Kühner (II, p. 763)[1]) animadverterunt. Jidem nonnulla exempla afferunt, in quibus enuntiati temporalis loco alterum enuntiatum primarium particula copulativa ‚et' interiecta ponitur. Apud poëtas autem et prosaicos scriptores posteriorum aetatum nonnunquam particula copulativa omissa duo eius modi enuntiata conecti[2]) addunt atque complures locos ex Vergilio, Ovidio, Apuleio proferunt, iam apud Terentium hunc usum inveniri non animadverterunt. Exstant in eius fabulis haec exempla:

Eun. 599. Vix elocutast hoc, foras simul omnes proruont se . . .

1) Kühner in adn. conferre iubet Eman. Hoffmann, Constr. der lat. Zeitpartik. (Wien 1873) p. 164 sq.; quo libro utendi mihi copiam non fuisse doleo.

2) cf. Kühner: ‚dadurch wird die Wirkung noch überraschender',

Phorm. 594. Vix dum dimidium dixeram, intellexerat.

Hec. 297 sq. Vix me illim abstraxi atque inpeditum in ea expedivi animum meum,
Vixque huc contuleram: em, nova res ortast, porro ab hac quae me abstrahat.

A Plauti sermone hoc genus parataxis alienum esse videtur, cum ne a Weissenhornio quidem eius mentio facta sit.

Restat ut addam illud ‚cum' inversum a Terentio et ipsum adhiberi:

Eun. 633 sq. Longe iam abieram,
Quom sensi.

Persaepe duo enuntiata, quorum altero sententiam temporalem contineri apparet, ita iuxta se ponuntur, ut particula temporali adiecta, qua ratione cohaereant, indicetur. Sed plerumque in his quoque exemplis difficillimum esse fatemur discernere, num in altero enuntiato maior insit vis, ut alterum ei mente subiungendum sit. Quare ne in his quidem exemplis structuram hypotacticam exspectari ex syntaxis legibus contendere volumus, immo illam adiungendi rationem facilitati ac simplicitati sermonis maxime convenire monemus.

Posteriori enuntiato particula temporalis adicitur:

Andr. 935 sq. Is bellum hinc fugiens meque in Asiam persequens proficiscitur:
Tum illam relinquere hic est veritus.

Eun. 311. Hoc hercle factumst . fac sis nunc promissa adpareant . . .

„ 1000. Nam iamdiu aliquam causam quaerebat senex,
Quam ob rem insigne aliquid faceret eis: nunc repperit.

„ 702. Meam ipse induit: post una ambo abierunt foras.

Eun. 492 sq. Hos prius intro ducam et quae volo
Simul imperabo: post huc continuo exeo.

Adelph. 757. Ego hos convenio: post huc redeo.

Heaut. 273 sq. Mane: hoc quod coepi primum enarrem; Clitipho:
Post istuc veniam.

Hec. 700 sq. Puerum accipias; nam is quidem
In culpa non est: post de matre videro.

Priori enuntiatorum duorum, in quibus simul ratio causalis inesse videtur, particula temporalis inseritur:

Eun. prol. 15. Defunctus iam sum, nil est quod dicat mihi.

Andr. 446. Nunc uxore opus est: animum ad uxorem adpulit[1]).

Huius similis locus exstat in Titin. frgm. 153:

Nunc eius voti condemnatust, immolavit hostiam.

Postremo etiam particulis certis omissis enuntiata iuxta se poni commemoramus, quae ratione temporali continentur.

Eun. 165 sqq. Nonne ubi mi dixti cupere te ex Aethiopia
Ancillulam, relictis repus omnibus
Quaesivi? porro eunuchum dixti velle te,
Quia solae utantur his reginae: repperi . . .

Hoc loco sententiarum vim positam esse in verbis ‚quaesivi, repperi' apertum est; nam Phaedria Thaidem docet, qua ipse benignitate in eam fuerit. Verbo ‚quaesivi' igitur enuntiatum temporale coniunctione ‚ubi' subiungitur, deinde in paratacticam structuram temporali ratione neglecta transitur, id quod solutioris generis dicendi proprium esse neminem fugit. Altero loco structura hypotatica parataxin excipit:

1) cf. Spengel ad h. l. ‚Parataktische Satzfügung, der Umgangssprache entnommen und kräftiger als = nunc cum opus est'.

Phorm. 266 sq. Hic in noxiast, ille ad dicendam causam adest;
Quom illest, hic praestost . . .

Vigoris efficiendi causa etiam apud Horatium parataxis temporalis occurrit:

ep. I, 6, 56 sq. Si bene qui cenat bene vivit, lucet, eamus
Quo ducit gula . . .

ubi ‚lucet' enuntiati temporalis loco ‚simulatque illuxit' positum est.

Ut apud Plautum sic in Terenti fabulis hoc genus parataxis creberrime invenitur narrationibus continuis intextum. In his quod inprimis vigorem sermonis cotidiani imitari studet poeta, rationem qua singulae sententiae inter te cohaereant, maxime neglegere solet, ut nullis fere nisi primariis enuntiatis iisque concisis in eis utatur [1]). Quae recte dici ut cognoscas, inspicere satis est hos locos: Andr. 108 sqq. 127 sqq. 221 sqq. 284 sqq. 923 sqq. quibus ex ceteris Terenti fabulis multos addere possumus.

In his narrationibus etiam illam parataxis formam, quae pro enuntiatis relativis adhibetur, saepissime occurrere commemoremus. Cum autem omnino non fieri possit, ut monstremus, qua ratione Terentius in ea adhibenda usus sit, singula exempla afferre omittimus. (Holtze (II, 232) ad hanc parataxis formam revocandum esse affirmat Adelph. v. 212, ubi per comparationis particulam ‚quam' praegresso comparativo primaria enuntiatio formata sit, quae secundaria esse deberet:

Numquam vidi iniquius
Certationem comparatam, quam haec hodie inter nos fuit.

ubi exspectari ‚quam quae' adicit.)

---

1) cf. Spengel ad Andr. 108 et 223; qui similem usum saepe inveniri adnotat in Ciceronis epistolis.

Comparativam, ut ita dicam, parataxin praebere constat illam notissimam locutionem ‚ita me di ament (amabunt)'. Nam enuntiatum comparativum particula correlativa ‚ut' huic formulae coniungi exspectamus, qui usus occurrit velut his locis:

Heaut. 749 sq. Ita me di amabunt, ut nunc Menedemi vicem
Miseret me . . .

Hec. 579 sq. Verum ita me di ament itaque obtingant ex te quae exopto mihi,
Ut numquam sciens commerui . . .

(cf. Heaut. 1030. Ita mihi atque huic sis superstes, ut ex me atque ex hoc natus es.)

Ex hoc usu illa locutio in formulam asseverandi abiit, quae aliis enuntiatis primariis adici vel inseri potuit omissa particula ‚ut' correlativa. Atque iam apud Plautum huius modi exempla exstare Spengel (ad Adelph. v. 749) attulit:

Amph. II, 1, 50 (= 597 Fleckeis.): Neque, ita me di ament, credebam primo mihimet Sosiae . . .

Altero loco a Spengelio laudato non formula quidem ‚ita me di ament' occurrit, sed similiter atque in huius usu particula ‚ut' desideratur: Curc. IV, 8, 18 (= 574 Fleckeis.)

At ita me machaera et clupeus . . . .
Bene iuvent pugnantem in acie.

Aeque a Terentio illam locutionem paratactice ut ita dicam positam esse cognoscitur ex his locis [1]):

Adelph. 749 sq. Ita me di ament, ut video ego tuam ineptiam,
Facturum credo, ut habeas quicum cantites.

Hec. 206 sq. Nescio, ita me di ament, mi Laches,
Itaque una inter nos agere aetatem liceat.

1) cf. C. Meissner, Die Cant. d. Ter. Neue Jahrbüch. f. Philol. Suppl. Bd. XII p. 527.

Phorm. 165 sq. Ita me di ament, ut mihi liceat
tam diu quod amo frui,
Jam depecisci morte cupio.

Quodsi Terentianis locis, qui paratacticam structuram praebent, congestis atque cum illis parataxis exemplis, quae Weissenhorn ex Plauti fabulis collegit, comparatis cognovimus, in hac re sermonem Terentianum vix a Plautino differre, quaerendum inprimis nobis videtur, unde haec similitudo orta sit. Nam si recte dicit Langen [1]), linguam latinam in syntaxi excolenda aeque promotam esse atque in formis expoliendis exiguo illo spatio inter Plauti et Terenti aetatem interiecto, non nisi causa quadam commotum ut vocibus rusticis et priscis ita prisca illa sententiarum iungendarum ratione usum esse Terentium affirmare licebit. L. A. Fischer dissertatione supra (pag. 5) laudata probare studuit similitudinem, quae inter Terenti et priorum comicorum latinorum inprimis Plauti rationem in fabulis componendis adhibitam atque sermonem intercedat, inde esse profectam, quod Terentius, priusquam ipse fabulas faceret, eorum, qui hac in re antecessissent, praesertim Plauti comoedias cognovisset. Certe concedendum est, Terentium, poëtam eruditissimum, Plauti ceterorumque comicorum fabulas cognovisse eisque operam dedisse, sed nihilo minus inter Plauti et Terenti sermonem in formis priscis adhibendis maximum discrimen interesse, praeter Langenium nuper Engelbrecht libello, quem supra (pag. 5) laudavimus, diligentissime demonstravit. Nonne igitur mirum videtur, si Terentium in sententiis paratactica structura iungendis quasi Plauti imitatorem deprehendimus?

1) cf. quae adnotavimus in praef. pag. 4 sq.

Itaque in parataxis formis et a Plauto et a Terentio adhibitis laxioris illius adiungendi rationis vestigia occurrere nobis persuasum est, cuius origo in antiquissimis linguae aetatibus quaerenda esse omnibus videtur[1]). Quae sententiarum iungendarum ratio simplicissima in sermonis vulgaris vel cotidiani usu diu conservata atque inde a poëtis scaenicis, qui illius sermonis usum diligenter imitari studuerunt, repetita et in eis potissimum fabularum partibus, quae diverbiis efficiuntur, usurpata est. Neque causa est, cur statuamus, hac in re Terentium sive Graecorum exempla sive Plautum ceterosve comicos latinos prioris aetatis consulto esse secutum. Immo cum id ageret, ‚populo ut placerent, quas fecisset fabulas' (Andr. prol. 3), eum certe sermonis cotidiani maximam rationem habere oportuit. Quod autem Terenti sermonem aequales vel Scipionibus et Laeliis dignum habuerunt atque Caesar, Cicero, alii posteriorum aetatum scriptores eius genus dicendi summis extulerunt laudibus, colligi potest, parataxis usum, quem invenimus in comoediis, non solum agrestis plebeique sermonis[2]) proprium fuisse, sed etiam urbani simulque familiaris, quem a Terentio repraesentari neminem fugit. Atque affirmare licet, Terentium, si linguae latinae aetate, quae dicitur aurea, comoedias scripsisset, non minus quam illo quo fuit tempore primordiis litterarum latinarum propinquo paratactica structura usurum fuisse, quippe quam in litterarum genere positam esse apertum sit. Quod maxime probari nobis videtur eis exemplis, quae ex Horati sermonibus allata sunt.

Statuendum igitur esse censemus, Terentium in fabulis scribendis cum multis aliis elocutionis artibus tum variis illis parataxis formis, quas hac commentatione exposuimus, usum esse, ut illam sermonis mediocritatem[3]) adipisceretur, quam

---

1) cf. Kühner II, 756: ‚die parataktische Satzverbindung ist, wie sich von selbst versteht, die ursprüngliche'.

2) quem Plautum repraesentare constat.

3) cf. Gell. VI [VII] 14, 6 ubi haec Varronis sententia servata

comoediae propriam atque commodam esse poëtam eruditissimum minime fugerat. Cuius genus dicendi ut illustretur hac commentatione sane exigua si paululum conferre nobis contigerit, satis habere nos concedimus.

est: ,vera autem et propria huiusce modi formarum exempla in latina lingua M. Varro esse dicit ubertatis Pacuvium, gracilitatis Lucilium, mediocritatis Terentium'.